Aug. Vogel,

Diss. Göttingen 187

DE FONTIBUS

QUIBUS

STRABO IN LIBRO QUINTO DECIMO CONSCRIBENDO USUS SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS VOGEL

LUBINENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXXIV.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

Quamquam negari non potest ad historiam antiquam certis firmisque fundamentis constituendam minus interesse, ut Strabonis geographicorum fontes eruantur, quam ut Diodori, Plutarchi, aliorum narrationes ad certos autores revocentur, tamen pluribus de causis hanc quoque quaestionem opera dignam esse arbitror. Nam primum illud ipsum in lucro ponendum est, quod his libris diligenter exploratis fieri potest ut satis multa membra scriptorum et historicorum et geographicorum adhuc per eos disiecta in unum colligantur atque conglutinentur. E quibus Artemidorum, Ephorum, Eratosthenem, Posidonium nominasse satis habeo. Ac ne illud quidem neglegendum est, quod Strabo cum non solum regionum gentiumque naturam descripserit sed etiam persaepe quae res iis locis ab illisque gentibus gestae essent aut brevius aut copiosius narraverit, haud ita paucas res ab aliis aut aliter aut omnino non memoriae traditas commemoravit. Qui certe homo fuit veritatis amantissimus idemque diligens in examinandis eis quae in libros recepturus erat, sed tamen ad illa expendenda unde profecta sint scire opus esse quis est qui neget? Denique fieri non post quin perlustrato Strabone eorum quoque auctoritas magis etiam perspiciatur qui in easdem res conscribendas studium contulerunt. Itaque iam Heerenius de fontibus geogr. Strab. quaestionem instituit in commentation. societ. reg. scient. Gotting. class. hist. et phil. 1819. p. 97 et 1822 p. 131 quam ego non magis in usum meum convertere potui quam dissert Henneckii de Strab. geogr. fide e fontt. aest. Gott. 1792. Sed quoniam conicere nobis licet utrumque more illius aetatis rem generatim uni-

verseque potius esse persecutum, spero fore ut venia mihi detur si nunc ea proferre audeo quae in fontibus libri quinti decimi investigandis invenisse mihi videor. Nam cum libros Strabonis omnes deinceps tractare constituissem, ab illo idcirco initium feci, quod et quibus auctoribus et qua ratione ille usus sit in eo facillime perspicitur. Notum enim est eo libro de India, Ariana, Perside agi. Quae cum neque ab ipso neque ab aequalibus eius peragratae essent, eis contentus fuit, quae cum ab aliis tum maxime a scriptoribus rerum Alexandri litteris erant mandata. Quo fit ut in discernendis diversis narrationibus minus impediamur quam in eis libris in quibus quae ipse viderat aut ab aliis acceperat ad narrationes scriptorum adiunxit. Sed tamen quaestio magnas habet difficultates. Tanta enim lectio toto opere elucet ut multo plures scriptores respiciantur necesse sit quam in Plutarcho aut Diodoro. Et quamquam Strabo quoque fontes quosdam primarios eligere solitus est, tamen nonnunquam ex variis narrationibus telam tam artificiosam contexuit ut aut maximo cum labore aut omnino non retexatur. Sed haec hactenus.

CAPUT PRIUS.

DE INDICORUM FONTIBUS AGITUR.

Prima paragrapho pauca praefatus altera queritur eos qui cum Alexandro Magno in Indiam profecti eam descripserint, non solum vera et ficta eorum quae audiendo acceperint parum diiudicare sed etiam cum aut levius aut celerius res inspexerint de eis ipsis quae viderint inter se vehementer pugnare. Quod idem cadere in eos qui post illos eo cursum direxerint (init. par. III). Ad eam rem demonstrandam locum ex Apollodoro Artemiteno affert. (De hoc scriptore cuius memoria a solo fere Strabone servata est cf. Müll. fr. hist. IV p. 308.) Recepit eum Müll. inter fragm. (6), erravit autem in eo quod totam par. ei tribuit. Apparet enim falsum esse illud: *ἐκείνους δὲ αὐτὰ τὰ μεταξὺ κ. τ. λ.* si-

quidem loci sententia haec est: non modo nihil novi addit eis quae antea nota [1]) fuerunt sed etiam repugnat eis cum dicit maiorem Indiae partem a Graecis esse subactam quam a Macedonibus, nam Eucratidam mille urbes in potestatem suam redegisse; illi enim (i. e. scriptores rer. Al.) quinque milia urbium ab Alexandro expugnata et Poro donata esse dicunt. Iure igitur ipse Müll. in Strab. edit. Didot. cum Cramero ἐκεῖνοι scripsit. Iam quaeritur ad quem verba Apolodoro dempta pertineant. Plin. h. n. 6, 21, 4. haec habet: „Al. M. comites in eo tractu Indiae quem armis subegerant scripserunt quinque milia oppidorum fuisse, nullum Coo minus, gentes novem, Indiamque tertiam partem esse terrarum omnium". Alter locus simillimus reperitur in Plut. vit. Al. c. 60 extr. Quibus si Strab. par. 12 addideris, Onesicritum autorem esse manifestum erit. Apparet enim illum in ea sententia fuisse Indiam tertiam partem esse terrarum omnium, id quod a Plinio tam arcte coniunctum traditur cum eis de quorum auctore nunc agitur, ut ea quoque Onesicritea iudicanda sint. Plutarchus vero in vita Alexandri rerum Indicarum maximam partem si minus ex ipso Onesicrito at certe per alium ex eo petivit; neminem certe saepius nominatim laudavit. Persuasum igitur mihi est a Strabone voce quae est ἐκεῖνοι, a Plinio comitibus Al. M. significari Onesicritum. Qua ratione nescio an alia quoque res explicetur. Onesicritus enim a pluribus scriptoribus appellatur Astypalaeensis. Vid. loc. coll. ap. Müll. script. rer. Al. p. 47. Sed cum a Steph. Byz. v. Ἀστυπάλαια duae insulae et duae urbes enumerentur, quaenam earum intellegenda sit difficile est iudicatu. Schmieder. quidem ad Arr. Ind. p. 101 ab insula maris Carpathii nomen ductum esse arbitratus est. Sed iis locis de quibus modo diximus ab illo Indorum urbes cum Co urbe comparari vidimus. Quae cum ab Astypalaeensibus Cois haud ita multo ante aetatem Al. M. (Ol. 103, 3) condita esset, sane colligi licet his Astypalaeis eum natum esse.

Par. 4 enumeratis causis cur etiam ipsius aetate In-

1) iure Cram. miratur „mirificum" gen. τῶν προτ. ἐγνωσμ., sed sententia alia esse non potest.

dia minus cognita esset, a Poro vel Pandione rege ad Caesarem Augustum legatos missos esse memorat. Eandem rem par. 73 Nicolaum Damascenum secutus uberius narrat, ita ut nominis Pandionis mentionem non faciat (fr. 91 ap. Müll.)

Deinde quae § 5 Nearchi nomine traduntur ex eo ipso hausta esse satis verisimile est. cf. Arr. exp. Al. 6, 24, 2—3 (ap. Müll. fr. 23). Idem quadrat in ea quae par. insequenti e Megasthenis libro descripsit et quibus neque Aegyptiorum regum quemquam neque Scythas neque Semiramin neque Cyrum in Indiam excursiones fecisse demonstratur. cf. Arr. Ind. 5, 3—8 (Müll. fr. hist. II, p. 416 fr. 20 et 21).

Pergit autem § septima cum docet: Megasthenem quidem cum paucis narrationes de Herculis et Liberi expeditionibus Indicis veras esse credere, plerosque autem, inter quos Eratosthenes sit omnes eas fictas esse arbitrari *καθάπερ καὶ τὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν*. Adduntur nonnulli loci ex Euripide, Sophocle, Homero desumpti. Bernhardy priorem partem huius par. fragmentis Eratosth. adnumeravit (fr. 106) sed quantum ego quidem video cetera quoque recipere ei licuit. Nam cum ex eis quae modo ipsius Strabonis verbis laudavi, illum ipsum fabulas Graecas respexisse pateat, eundem qua fuerit scientia poetarum locos illos collegisse consentaneum est; praesertim cum quanta diligentia tota haec res ab eo tractata sit ex Arr. exp. Al. 5, 3 facile cognoscatur. Totum igitur locum Eratostheni restituendum esse censeo.

Neque dubium est quin idem § insequenti illi pauca suppeditaverit. In qua cum impugnet sententiam eorum qui Liberum et Herculem in Indiam venisse existiment Megasthenis argumenta ab eo redargui coll. Arr. Ind. 5, 9—12 perspicuum est. Quae autem refutandi causa intericienda esse censuit (cf. *ἄμπελον, οὐδὲ ταύτην τελεσίκαρπον κτλ.*, *ὅπερ ἐπιπολάζει καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις Ἰνδοῖς. — καὶ γὰρ ταῦτα μετενηνόχασιν*) ea partim ab Eratosthene inventa esse propterea mihi persuadeo, quod hunc cum de ceteris rebus ad Indiam spectantibus illum potissimum secutus sit de hac re prorsus ab eo dissensisse constat. Atque etiam in eis quae sequuntur Strabo demonstrare pergit fabulas illas ab Alexandri adulatoribus excogitatas esse. Quoniamque in argu-

mentis eius est dissensio eorum ipsorum qui ea narraverunt, ab hoc loco non alienum puto monere revera multos eorum ab illo esse lectitatos (cf. II, p. 70 C.).

Quibus expositis ex veterioribus scriptoribus Eratostheni maximam fidem habendam esse iudicat. Deinde cum dicit: *ἔστι δὲ τοιαῦτα ἃ λέγει ὁ Ἐρατοσθένης* ad ipsam Indiae descriptionem transit. Qua in re ita versatur ut primo loco brevem descriptionem totius terrae ex Eratosthene petitam collocet. Atque undecimam par. quidem ad eum pertinere iam Bernhardy in Eratosth. p. 93 cognovit, sed etiam §§ 12 et 13 ei tribuere debuit. Nam primum in eis quae antecedunt Strabo *πιστότατα*, inquit, *εἶναι τὰ ὑπὸ τοῦ Ἐρατοσθένους ἐν τῷ τρίτῳ τῶν γεωγραφικῶν ἐκτεθέντα κεφαλαιωδῶς περὶ τῆς τότε νομιζομένης Ἰνδικῆς*, deinde paucis interjectis verba quae supra laudavi subsequuntur. Exspectamus igitur ut quae de Indiae natura ille „generatim" memoriae tradiderit breviter repetantur. Et vere par. 11 terminos, par. 12 magnitudinem, par. 13 flumina, coeli temperationem, fertilitatem Indiae, par. 14 denique Taprobanen insulam breviter tractari videmus. Post ea Strabo sic pergit: *τοιαῦται μὲν αἱ τοῦ Ἐρατοσθένους ἀποφάσεις. προςτεθεῖσαι δὲ καὶ αἱ τῶν ἄλλων, εἴ πού τι προςακριβοῦσιν, εἰδοποιήσουσι τὴν γραφήν.* Quid igitur Bernhardyum deterruisse putamus, quominus haec omnia Eratostheni vindicaret? Vix est dubium quin nominibus in par. 12 allatis in eam opinionem ductus sit ea non iam ad illum pertinere. Sed eis quae in extrema par. ab ipso Strabone addita sunt exceptis plane eadem leguntur in Arr. Ind. 3, 6. Ubi cum item ea proxime antecedant eaque Eratosthenis nomine insignita, quae a Strab. par. 11. narrata sunt, apertum est et hunc et illum ea coniuncta cum eis quae modo tradiderunt in Eratosthenis libro reppérisse. Ac ne quis miretur quod tot scriptores ab eo collatos esse arbitremur, moneo verisimile illud quidem esse Ctesiam et Onesicritum ab eo esse usurpatos, de Nearcho, Megasthene, Deimacho idem ex paucis eius fragmentis apparere (cf. fr. 105, 107; 119), cum nisi per alios Straboni neque Ctesias neque Deimachus, Arriano vero neque Ctesias neque Onesicritus noti sint (de qua re aliis locis plura dice-

mus). Neque minus probabilis est ea coniectura numerum a Patrocle exputatum (§ 11 *Πατροκλῆς δὲ χιλίοις ἔλαττον φησί*) ex eodem haustum esse, conf. enim Strab. II p. 69 C.

Sequitur fluminum descriptio. Quam ob id ipsum ab Eratosthene prolatam esse existimo, quod tam arcte cohaeret cum iis quae sequuntur ut nisi totius descriptionis perpetuitate turbata tolli non possit. Nam ea quae subsequuntur, (Bernh. Er. fr. 112): *ἐκ δὲ τῆς ἀναθυμιάσεως τῶν τοσούτων ποταμῶν καὶ ἐκ τῶν ἐτησίων, ὡς Ἐρ. φησί* etc. illa sublata prorsus non intelleguntur. Nec minorem iniuriam Eratostheni infert Bernh. cum fr. 112 verbis quae sunt: *λιμνάζει τὰ πεδία* finem facit. Verum est illud quidem ea quae hoc loco a Strabone adduntur et ea quae ab eodem § 45 Aristobulo, ab Arr. Ind. 6, 8 Megastheni aut Erat. tribuuntur, tantam similitudinem prae se ferre ut ea omnia ex fonte communi derivata esse valde verisimile sit. Nihil tamen obstat quominus hunc locum Strab. ex Eratosthene sumptum esse arbitremur, siquidem et Aristobulum et Megasthenem inter eos esse scimus quorum auctoritate saepius ille usus est. Accedit quod cum Arr. in Ind. Eratosthenem non minus usurpaverit quam Megasthenem, in dubium vocari potest, uter eorum quae ad h. l. collata sunt (Ind. 6, 8 et 9) autor fuerit. Nihil igitur sententiae nostrae repugnat. Atque ut hoc quoque addam, Onesicriteum illud parenthesi quasi interpositum etiam locis laudatis legitur. Qua de causa id ab Aristobulo ex eo excerptum, ab Eratosthene (vel Megasthene) ex Aristobulo esse descriptum opinor. Confirmatur autem ea re coniectura ab Alfr. Schoene in anal. phil. hist. p. 30 facta Onesicriti historiis usum esse Aristobulum [2]).

Par. 14 denique de Taprobane insula pauca subiunguntur quae ad Eratosthenem referre ne Bernh. quidem dubitavit (fr. 114).

2) Lassen Ind. 1, 141 monet, Strabonem (in § 13) unum tantum ostium Gangis novisse, Arr. contra II, 9 dicere: *Γάγγεω αἱ ἐκβολαί*. Quorum uterque sine dubio a Meg. pendet (ap. Strab. Eratosthenes): itaque haec discrepantia non premenda, sed Arriani in dicendo neglegentiae tribuenda est cf. Ind. 22, 8 et 23, 1, 24; 38, 7. 39, 3. 40, 11 ubi item pluralis usurpatur.

His disputatis sic statuo: hoc loco a Strabone fere omnia esse expressa quae Eratosthenes in tertio libro geographicorum de Indiae Indorumque natura tradiderat. Affert enim ille eum etiam § 20, ita tamen ut ea quae in § 13 ex eo desumpserat aperte respiciat (cf. *καθάπερ καὶ Ἐρ. ἔφη, τὸν μὲν εἰπὼν σπόρον χειμερινὸν, τὸν δὲ θερινὸν, καὶ ὄμβρον ὁμοίως·* et *ἐν μὲν οὖν τούτοις* (*θερινοῖς*) *ὄμβροις λίνον σπείρεται καὶ κέγχρος. πρὸς τούτοις κτλ. τοῖς δὲ χειμερινοῖς καιροῖς πυροί κτλ.*). Non igitur mihi persuasit Bernh. fragm. Er. 113 ultra hoc enuntiatum pertinere. Cuius sententiae aliae quoque causae opponi possunt. Nam illud enuntiatum cum eis quae sequuntur adeo non cohaeret ut eo omisso sententiarum nexus optimus sit. Deinde ipse iam memoravi saepius Eratosthenem Megasthenis narrationes recepisse, sed talis consensus est inter ea quae hoc loco a Bernh. illi vindicata sunt et ea quae Diod. 2, 36, 8—9 ex Megasthene attulit, ut virum doctissimum errasse mihi quidem persuasum sit. Ac ne confidentius dixisse videar, ipsa verba componere libet.

Diodorus.	Strabo.
πάντα γὰρ σχεδὸν τὰ κατὰ τὴν χώραν πεδία γλυκεῖαν ἔχει τὴν ἀπὸ τῶν ποταμῶν ἰκμάδα καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἐν θέρει κατ' ἐνιαυτὸν κυκλικῇ τινι περιόδῳ παραδόξως εἰωθότων γίνεσθαι δαψίλειαν χλιαρῶν πιπτόντων ὑδάτων ἐκ τοῦ περιέχοντος ἀέρος καὶ τὰς ἐν τοῖς ἕλεσι ῥίζας ἕψοντος τοῦ καύματος, καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων.	*καρποὺς γεννᾶσθαι πολλοὺς καὶ τὰς ῥίζας τῶν φυτῶν καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων, γλυκείας καὶ φύσει καὶ ἑψήσει, χλιαινομένου τοῦ ὕδατος τοῖς ἡλίοις τοῦ τ' ἐκπίπτοντος ἐκ Διὸς καὶ τοῦ ποταμοῦ.*

Assentior igitur C. Müllero hunc locum in fragmentis Megasthenis numeranti (fr. 9). Neque quidquam in ceteris libris invenitur quo descriptio Indiae in tertio libro geographicorum ab Eratosthene exhibita augeri posset. Quae enim praeterea a Strabone de rebus Indicis passim memorantur, velut iudicia quae ille de Patrocle, Deimacho ceteris rerum

Indicarum scriptoribus tulit in primo libro geographicorum locum habuerunt. Ac ne Plinius quidem (6, 24) aut is qui ab eo usurpatus est multo plura legisse putandus est in libro Eratosthenis, quamquam de Taprobane insula pauca quaedam attulit, quae apud Strabonem desiderantur. Apud quem pauca excidisse perspicuum est. cf. Cram. ad h. l. Haec habui quae de hac parte operis Straboniani vel potius Eratosthenici exponerem. Hac ratione lineamentis quasi extremis ductis Strabo Indiae imaginem ab illo delineatam ceterorum narrationibus adiectis se expleturum esse atque illuminaturum pollicetur. Qaum ad rem in eis quae sequuntur usque ad § 26 tot fragm. Onesicriti, Nearchi, Aristobuli (de quibus cf. Müll. fr. hist. rer. Al.) Megasthenis, aliorum congessit atque inter se coniunxit, ut haec pars descriptionis operi vermiculato simillima sit. Neque dubium est quin eos quidem quos modo nominatim laudavi ipse noverit.

Atque ut singula persequamur primo loco de Taprobane ex Onesicrito pauca assumit (cf. Müll. fr. 13). Deinde § 16 Nearchum de fluminum quorundam alluvionibus testem citari videmus (fr. 4). Quae si quis cum eis quae Arr. exp. 5, 6, 4 – 5 de eadem re disputavit leviter tantum comparaverit, facili opera perspiciet eundem Nearchum Arriano auctorem fuisse [3]). Postquam § 17 quae de pluviis nivibusque Indiae Aristobulus docuisset breviter explicatum est par. insequenti Nearchi sententia in comparationem vocatur. Eadem ab Arr. Ind. 6, 4—5 refertur (cf. p. 23). In extrema par. ab Aristobulo, Onesicrito, Megillo de herbis quibusdam pauca narrantur. E quibus Megillus hoc solo loco a Strabone laudatur nec usquam alibi eius vestigium invenire mihi contigit. (Arist. fr. 29. Ones. fr. 14.)

Iterum sequitur Aristobulum (in § 19) de fluviis nivibusque Indiae Aegyptique et de fluviorum mutationibus disputantem. Cuius sententiam non modo amplectitur sed etiam paucis ex Onesicrito allatis confirmare studet (Init. §

3) Müll. quidem hunc locum Arr. Megasthenis esse voluit (fr. hist. II. p. 407). Tum eum ea ipsa a Nearcho habiturum fuisse in aperto est. Sed quoniam Arr. saepius ipsum Nearchum adiit, hac coniectura non opus est.

20). Quae proxime perhibentur usque ad verba: *τρόπον δὴ* etc. omnia (uno illo enuntiato Erat. excepto) pro Megasthenicis habenda esse satis supra demonstrasse mihi videor (p. 9). Voce *ἑψήσεως*, quam ille usurpaverat, breviter explicata Strabo Nearcho auctore in nonnullis herbis arboribusque dedescribendis paullulum versatur (fr. 8).

Excipit Nearchum Onesicritus (fr. 15) cuius narratio verbis quae sunt: *κατὰ δὲ τὸν Ἀκεσίνην* etc. interrumpitur; nam postea idem significatur: *οὗτος δὲ τετρακοσίους* (ad rem cf Nearch. fr. 11). Reliqua usque ad: *ἅπαντας δὲ ὑπερβέβληνται* ad Aristobulum pertinent (fr. 30). Tum a Strabone laudantur: *οἱ φήσαντες*, cui voci Nearchum subesse propterea suspicor quod fere idem ap. Arr. Ind. 11, 7 Nearchus memoriae tradidit: *τὴν σκιὴν ἐς πέντε πλέθρα ἐν κύκλῳ ἐξικνέεσθαι.* Facile enim fieri potuit ut aut Arrianus aut Strabo mensuram negligentius descripserit. Sed multo maioris momenti ea sunt quae subsequuntur. In eis enim eae herbae quae in terra Musicani gignuntur satis accurate perscribuntur, auctore non nominato. C. Müller. igitur haec omnia Aristobuli frgm. tricesimo adicienda esse censuit. Sed ego ad Onesicritum potius ea referenda esse existimaverim. Etsi enim vox quae est *οὗτος* ad eum spectare solet qui propius abest (is autem est Aristobulus, nam ad *οἱ φήσαντες*, referri non licet) tamen pluribus causis ad eam sententiam deducor, hoc loco illam significationem non esse premendam. Apparet enim non modo par. 22 excepto fine cum eis quae in par. 21 proxime antecedunt quam arctissime esse coniunctam sed etiam argumentum par. 23 cum illa cohaerere. Atqui hac paragrapho Onesicriti narrationem contineri luculento argumento illud est quod initio par. subsequentis his verbis ad eam respicitur: *Ὀνησικρίτῳ δὲ δοκεῖ τό δε τὸ ὕδωρ* etc., ab Aristobuli autem sententia eam plane abhorrere diserte memoratur. Nec vero minus valet altera causa. Habemus enim in par. 22 descriptionem naturae eius terrae quae Musicano rege utebatur. Iam meminerimus in Aristobuli reliquiis, quae quidem nomen eius ferant, illius regni ne mentionem quidem fieri, alterum magno studio atque amore in id ipsum describendum incubuisse (conf. init. 21 *Ὀ. δὲ καὶ*

περιεργότερον τὰ ἐν τῇ Μουσικανοῦ διεξιών, ἅ φησι νοτειότατα εἶναι τῆς Ἰνδικῆς et 54 extr.) 4). Iure igitur sic iudicabimus: inde a verbis *καὶ τῶν ἐριοφόρων* etc. denuo incipere narrationem Onesicriti et his, § 22 (extr. parte exc.) et 23, quintum decimum fr. eius ap. Müll. esse amplificandum.

Supra iam diximus in extr. par. 22. ordinem interrumpi. Etenim eo loco de Aegypti Nilique fertilitate Aristoteles testis citatur. Fortasse memoriter eum laudavit, cum in Aristotele qualem nunc habemus *ἑπτάδυμα* non reperiatur. cf. de hac re Cramer. ad h. l. Ceterum multis aliis locis Strabo non ipsos eius libros evolvisse sed per alios notitiam eius habuisse videtur.

Atque etiam id iam memoratum est in § 24 iterum Onesicriti sententias ab eo tractari. Examinat enim ea quae de vi aquae ille disseruerat et Theodectem contra eum defendit (Müll. Ones. fr. 17). Quo iure ille hoc fecerit nostrum non est iudicare. Iam ad Nearchi fragm. (5. ap. M.) venimus, ad quod Müll. plures quidem locos contulit, omisit tamen Arr. exp. 6, 1, 2—4. Facile enim ex utriusque loci comparatione intellegitur eum quoque Nearchi testimonio usum esse; id quod nemo mirabitur qui memoria tenebit cum in expeditione Alexandri tum in Indicis saepius ad auctoritatem eius Arrianum provocasse. Non igitur debuit Schoen. l. l. p. 32 ex Aristobulo ea repetere. Sed de hac re paullo post plura erunt dicenda. His narratis ut Nilum ita Indica flumina et colendis terris et terminandis magno usui esse paucis verbis exponit. Quae adeo e Strabonis ratione cogitandi considerandique dicta sunt ut alium autorem quaerere ineptum esset.

Deinde in enumerandis fluviis ea ratione utitur ut Alexandri expeditionem prosecutus quo ordine is illos transgressus sit memoriae tradat. Itaque in eis quae hic narrantur descriptionem potius illius expeditionis quam fluviorum Indicorum invenimus. Tota autem narratio adeo pressa est atque contracta ut ab ipso ad id quod sibi proposuerat accommodatam eam esse nec vero talem apud quemquam scripto-

4) extrema verba propterea attuli, quod in § 22 quoque haec inveniuntur: *τὴν νότιον γῆν τὴν Ἰνδικὴν.*

rum rerum Alexandri inventam esse existimaverim. Cumque ex Strab. II, 70 C. dilucide demonstretur historiam Alexandri peculiari opere ab eo esse conscriptam, satis credibile est, ea quae §§ 26—28 narrantur maximam partem ex illo libro desumpta esse; quamquam ipse eum ne semel quidem laudat. Sed brevitate illa factum est ut singularum rerum fontes examinari illi quidem possint, nominari saepissime non possint. Sed cum ad res ab Alexandro gestas bene perspiciendas non minus interesse videretur ut quantum fieri posset cognosceretur quae ratio inter Strabonem et ceteros scriptores rerum eius intercederet, ad ea etiam quae ad certum quendam autorem referri non possunt, ceterorum narrationes in comparationem vocavi.

Atque ut primum subsistamus in extr. par. 26, qua agitur de prima parte expeditionis Indicae a ceteris omnibus Strabo minus aut magis dissentit. Similia quidem ea sunt quae ab Arr. exp. 4, 22 memoriae prodita sunt [5]; nec tamen adeo consentiunt ut ex eodem fonte fluxisse existimanda sint. Nec enim solum nomina Bandobenes, Gandaritidis, Plemyrii ap. Arr. desiderantur, sed etiam frustra causas quaerimus quibus sec. Strab. adductus Alexander Cophem potius quam aliud flumen traiecerit. De fontibus autem huius scriptoris nuper Alfr. Schoene vir doct. commentationem scripsit, qua demonstrasse sibi visus est, Arrianum eodem fonte usum atque Plutarchum Ptolemaei et Aristobuli libros ipsos nequaquam versavisse. Etiamsi hoc verum esset, arbitrari nobis licet eorum narrationes per alium quendam traditas apud Arrianum servatas esse (cf. p. 54 „usos esse fonte, qui etc.“); sed iure A. Schaefer in annal. Fleckeis. 1870 p. 434 sqq. contra illum eam sententiam tuetur: Aristobulum et Ptolemaeum ipsos ab eo esse usurpatos, ea autem quae ut fide minus digna addantur non tam ex singulis scriptoribus quam ex Alexandrino quodam qui ea collegisset ab Arriano petita

5) velut ea quae de itinere per Paropamisum facto narratur bene congruunt. Strab. enim p. 725 C. primum iter quindecim dierum fuisse tradit, alterum § 26 κατ᾽ ἄλλας ὁδοὺς ἐπιτομωτέρας; quod Arr. quoque 4, 22, 4 decem tantum dierum fuisse testatur.

esse. Nolo diutius in causis a viro doctissimo allatis versari: illud unum memorare mihi liceat, a Schoenio auctorum ab Arriano nominatim citatorum parum rationem esse habitam· Onesicriti quidem notitiam ab Aristobulo eum habuisse mihi quoque persuasit: Nearchum contra iniuria neglexit. Multo enim saepius is ab illo usurpatus est quam laudatus (cf. supra p. 10 et 12). Sed etiam gravissimum locum 6, 24, 3 omisit ubi nominatim ille laudatur (in in dicibus quoque et Geieri et Dübneri is desideratur) ex quo perspicuum est, maiores partes cap. 24 et 25, magnam partem cap. 26 deberi Nearcho. Quodsi et hoc loco et in Indicis — de qua re quantum scio nemo adhuc dubitavit [6] — ipsum Nearchum Arrianus excerpsisse existimandus est: quid est cur non Aristobuli quoque et Ptolemaei potestatem ei fuisse arbitremur? Atque etiam Megasthenem — cuius narratio 7, 2 iam inde a par. 2 incipit coll. Strab. p. 717 C. — et Eratosthenem ut in India ita in expeditione Al. conscribenda ipsos ab eo excussos esse verisimile est. Et quoniam in hanc rem sumus ingressi, id quoque moneo, in auctoribus Arriani enumerandis Ctesiam 5, 4, 2, Herodotum, Hecataeum 2, 16 ab illo praetermissos esse; quamquam id ad rem ipsam iudicandam haud ita magni momenti est Itaque cum videamus sententiam viri egregii argumentis eius non satis esse confirmatam, ego quidem etiamnunc in ea sententia maneo: Arrianum eam legem quam in praef. exped. Al. sibi condiderat religiose servasse eamque rationem secutum esse ut quaecunque Ptolemaeus et Aristobulus consentientes prodidissent memoriae, ea tanquam vera conscriberet, ubicunque inter se dissentirent, ea seligeret quae et fide et narratione digniora viderentur; praeterea autem eum partim ex aliis quibusdam scriptoribus ut Nearcho, Meg. partim ex libro in quo plurium narrationes collatae essent pauca addidisse. Quaerentibus igitur nobis ad quem ea quae cap. 22 et seqq. Arr. narravit, pertineant inter Aristobulum et Ptolemaeum eligendum est. Ac si ea reputamus quae de utriusque genere et ratione narrandi

6) nam quae de Nearcho falsario Hardouin, Dodwell, Bohlen somniaverunt, huc non spectant.

omnes adhuc docti homines iudicaverunt velut R. Geier, C. Müller, A. Schoene, A. Schaefer, dubitare non possumus quin Ptolemaeus auctor fuerit. Quaecunque enim legimus in his capp., spectant ad eas expeditiones et pugnas quibus praeter ceteros ille interfuit quasque ob eam rem cum amore quodam descripsisse videtur, cum a ceteris scriptoribus rer. Al. silentio fere praetereantur. Quod idem Aristobulum fecisse satis credibile est. His de Arriano disputatis sequitur ut Iustinus quoque, Plutarchus, Diodorus, Curtius Rufus, quoad eius fieri potest, cum Strabone comparentur.

E quibus Iustinus, cum sine dubio haec itinera ab Alexandro facta in eis numeraret quae, „nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo essent necessaria" hoc loco nil nisi ineptas illas fabulas de Nysa et de Cleophide refovit. Curtius autem easdem nugas 8, 10 ita repetit ut quamvis magnopere eas dilataverit ex eodem fonte hausisse perspiciatur. De hoc quoque Schoene l. l. p. 46 et 50 pauca disputavit, cui hoc quidem assentior, nondum satis idoneis rationibus constare, ipso eos i. e. Clitarchi opere usos esse (p. 54), sed ex eis argumentis quibus id demonstrare studet, illud unum mihi probatur, quod p. 46 e Curtii iudicio petivit (de quo vid. Schaef. l. l. p. 441). Nec tamen inde colligere debebat, parum verisimile esse Curtium eodem scriptore de quo acerbum illud quidem sed iustum iudicium ferret, toto opere praecipuo auctore usum esse; id enim in Curtio nullius momenti est, qui idem 9, 1, 34 haec habeat „equidem plura transcribo quam credo: nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere quae accepi". Quod vero p. 51. suspicatur ex solo Timagene eum novisse Clitarchum, ego quidem hoc neque negare neque affirmare audeo: sed num minus spectat ad Timagenem „iustum" illud „sed acerbum iudicium" quam ad Clitarchum? Id quoque in dubium vocat p. 50 num Iustinus Clitarchum secutus sit et vereor ne dubitatio eius eis quae Schaef. p. 455 not. explicat non sublata sit. Sed quoniam ne ipse quidem negat rem illam minus valere — semel a Iustino et ab Aristobulo idem numerus traditus est, — etiamnunc arbitrari nobis licet, ab illo vel potius a Trogo Pompeio Clitarchi narrationem esse con-

versam. Quae cum et ab hoc et a Curtio saepenumero mutata aut mutilata esse videatur, magnopere dolemus eum qui ex omnibus diligentissime eam expressit, Diodorum, hoc loco propter lacunam in contentionem vocari non posse. Nam ut hanc rem nunc absolvam ne id quidem probavit mihi Schoene l. l. p. 54 Diodorum ipso Clitarchi opere non esse usum. Illud quidem recte dici potest multis locis magnam similitudinem inter eum et Arrianum intercedere. Quodsi vir doct. p. 52 sic pergit: „ex ipso Arriani praefationis testimonio statui vix potest, secutum eum esse nugacissimum Clitarchum“ ea neglexit quae ipse Arr. subiungit in praef. „ἔστι δὲ ἃ καὶ πρὸς ἄλλων ξυγγεγραμμένα etc. Ex quibus elucet facile fieri potuisse ut inter ea quae ex fontibus deterioribus haurirentur e Clitarcho quoque nonnulla in libros Arriani irreperent. Atqui omnes locos ab illo ex septimo libro Arr. allatos ad illud fontium genus pertinere facile est demonstratu. Nam omnibus eis locis Arr. eis vocibus utitur quibus indicare solet, eam rem neque ab Aristobulo neque a Ptolemaeo traditam esse. cf. enim ad 7, 14, 1 capitis antec. 2 ἐνταῦθα λέγουσιν. — ipsa § 1 καὶ λέγουσιν τὸ μὲν στάδιον πλῆρες εἶναι. — § 2. ἔνθα δὴ ἄλλοι ἄλλα ἀνέγραψαν; 7, 15, 4 narratio incipit a Καρχηδονίους τότε πρεσβεῦσαι λέγεται et paullo post λέγουσιν ὅτι; 7, 22, 2 haec antecedunt: λόγος δὲ λέγεται τοιόςδε; 7, 26, 3 οἱ δὲ καὶ τάδε ἀνέγραψαν; 27, 1 πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα οἶδα ἀναγεγραμμένα. Simillimus locus est Arr. 6, 28, 1 ubi narratiunculam illam de Alexandro bacchante a Diod. Plut. Curt. ex Clitarcho descriptam repudiat quippe quae neque Aristobuli neque Ptolemaei testimonio confirmata sit. His igitur locis sententia eius nullo pacto defenditur. Quam raro autem in ceteris libris Arr. propius ad illum accedat eo cernitur, quod praeter tres locos a Raunio (in comment. de Clitarcho Diodori, Curtii, Iustini auctore Bonn. 1868) p. 32 et a Schoenio l. l. collectos duos tantum reperire potui, qui similitudinem quandam cum Diod. prae se ferunt: Arr. 3, 27, 4—5 cum Diod. 58, 4 de parte pugnae ad Arbela commissae. Nec vero quisquam negabit eum consensum non minus facile similibus rebus quam fonte communi explicari. Quoniamque ei dis-

sensio de multis et gravissimis rebus obstat, sollerti argumentatione viri doctissimi eam opinionem, Diodorum in rebus Al. conscribendis ipsum Clitarchum auctorem elegisse, nondum satis refutatam esse arbitror.

Reliquum est ut de Plutarcho scriptore vitae Alexandri pauca dicantur. Sed ne is quidem quidquam suppeditat ad cognoscendum qui fons apud Strabonem lateat, quandoquidem ad mores illius describendos intentus eas res quarum Strabo l. l. mentionem facit ne verbo quidem memorat. Quod cum ipsi tribuendum sit, nihil refert hoc loco in auctorem eius diligentius investigare (de Plut. font. cf. Schaefer l. l. p. 440 sqq.).

Itaque nihil aliud adhuc assecuti sumus nisi ut neminem ceterorum script. rer. Al. cum Strabone plane convenire videremus. Neque id mirum est si illud verum est quod supra sumpsimus, eum de his rebus suum opus excerpsisse. Verisimile enim est eum ut in geographicis ita in eo variorum narrationes inter se contulisse et ex alia aliud recepisse. Quod non minus cadit in ea quae proximis §§ exponuntur. Sed ut eos scriptores qui expeditionem Indicam uberius describendam sibi proposuerant et quos ille solos novisse videtur — de qua re iudicium lubricum est et difficile — breviter enumerem, apud Clitarchum eum illa non invenisse ex eis quae comparavimus manifestum est. Ptolemaeum autem si adiisset nescio an memoriam Arriano similiorem traditurus fuerit (ac ne semel quidem de rebus Indicis ille testis laudatur). Nearchus vero ea tantum libro suo complexus esse videtur quae ad id temporis spatium pertinent quod inter reditum ex India et regis mortem interiectum erat: restant igitur Onesicritus et Aristobulus. Quorum uterque tam saepe ab eo et usurpatur et citatur, ut cum nullis certis notis adiuvemur ad iudicandum uter usurpatus sit rem in medio relinquendam esse censeam, praesertim cum ne id quidem pro certo negare nobis liceat, alios quoque usurpatos esse ab eo nec vero nominatos. Illud unum moneo, paullo post §. 28 acerbum iudicium de fide Onesicriti Strabonem facere. Neque magis cognosci potest quemnam initio §. 27 secutus sit. Singula si perlustramus, de nominibus fluviorum id animad-

vertendum est quod Ὕπανις scribitur a Diod. quoque 2, 37 et 17, 93; Ὕφασις semper ab Arr. in exp. et in Ind., a Curt. 9, 1, 35 (?). Simili modo Ὑάρωτις ab Arr. Ὑδραώτης pronunciatur. Sed in fonte exquirendo ea re nihil adiuvamur, siquidem eundem Aristobulum secuti alter altero nomine utuntur (cf. Strab. 17 et 21). Deinde tria afferuntur, cur Alexander transitu Hyphasis destiterit: *μαντεῖα τινὰ*, defatigatio exercitus, pluviae perpetuae. E quibus id quod primo loco positum est a ceteris scriptoribus silentio praeteritur nisi forte id quod ex Ptolemaeo Arr. exp. 5, 28, 4 affert eo referendum esse putamus (*οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά*). Alteram tertiamque causam Diod. quoque 17, 94 et Plut. Al. 63 memorant; ita .tamen ut eis cum Strabone fontem communem esse arbitremur non necesse sit. Crebris pluviis iter exercitus impeditum esse ipse Strabo iam §. 17 sec. Aristobulum perhibuit et cum hic multus sit in oraculis, vaticiniis, portentis referendis (A. Schoene l. l. p. 23) cum specie quadam veritatis eam coniecturam proferre mihi videor, etiam *μαντεῖα* illa deberi Aristobulo.

In eis autem quae subsequuntur *οἱ μετ' ἐκεῖνον περαιτέρω τοῦ Ὑπάνιος προελθόντες* Megasthenem intellegi manifestum est, quem legatum Palibothra, in urbem ad Gangem sitam missum esse scimus (cf. Arr. Ind. 1, 9). Ea denique quae sub finem § leguntur cum eis quodam modo congruunt quae ap. Arr. Ind. 1, 1 et 7—8 exstant quaeque ob eam rem ex eodem fonte hausta esse iam Schwanbeck. Megasth. p. 32 opinatus est. Et vere similitudo ea est ut res digna sit quae paullo accuratius exploretur. Historiam Indicam Arriani totam tribus potissimum auctoribus positam esse: Eratosthene, Megasthene, Nearcho, inter omnes constat. Cuius rei argumento est primum ipsius testimonium 3, 1 et 17, 6 (cf. praeterea exp. 5, 5, 1 ubi addit: *οἵ τε ξὺν Ἀλ. στρατεύσαντες*). Laudat ille quidem praeter eos Onesicritum et Ctesiam 3, 6 et 6, 8, sed quid de his locis iudicandum sit supra iam ostendimus (cf. p. 6). Atque omnibus fere locis ubi auctores non nominati sunt facili opera cognoscuntur. Quod ut de singulis demonstrem, inde a cap. 18 usque ad finem libri, si hunc ipsum et pauca quae in extr. 19 traduntur exceperis

omnia Nearchi esse apertum est. Deinde cap. 16, 6 et 17, 1—5 in ejusdem fragmentis numeranda sunt cf. fr. 7 et 16. Eidem cap. 11 §§. 7 et 8 vindicandas esse censeo propterea quod Diod. II, 40, 31 et Strab. 15, 1, 39 docent Megasthenis narrationem desinere in verb. ὅτου ἡ σιωπὴ κατακέκριται. De sexto autem cap. illud monendum est Schmieder v. d. iniuria par. 4 ex Aristobulo descriptam esse voluisse: nam et eam et eae quae sequuntur ad Nearchum pertinere vel ex eo apparet quod sec. Strab. §. 17 et 24 init. Aristobulus μόνα ὕεσθαι τὰ ὄρη narravit, Arr. autem ab eo diversus est cum dicit μάλιστα τὰ οὔρεα; neque ulla re significat se hoc loco inter se pugnantia tradere, id quod vir doctiss. cognoscere sibi visus est. De §. 8 et seqq. eiusdem capitis supra dictum est p. 7. Sed ut veniamus ad prooemium de quo nunc ipsum agitur, alterius capit. pars maxima conf. est cum. Strab. 15, 1, 11 et 13; Arr. exp. 5, 4, 1; 5, 5 et 5, 6, 2. 3. Nullo negotio intellegitur scriptorem Eratosthenis geographicis imbutum de Indiae terminis, Tauro Indoque pauca memoriter ex eo laudavisse. Multo autem difficilius iudicatu est de cap. primo. Enumerantur enim in eo nonnullae earum gentium quae inter Cophen et Indum sedes habebant: Astaceni, Assaceni, Nysaei eorumque urbes (cf. ad h. l. not. Müll. in geogr. min. I, 307). Omitto ea quae de Nysaeis exponuntur, tritissimam enim eam fabulam fuisse Müll. suo iure monet; sed quid censeamus de ceteris? Megasthenes hanc partem Indiae non descripsisse videtur: idemque 5, 7 et 9, 10 (cf. Diod. II, 38, 18), neque Semiramin neque Cyrum Indis bellum intulisse affirmat, id quod cum eis pugnat quae §. 3 perhibentur. Accedit quod cum tota descriptio tum comparatio §. 2 instituta aliquem scriptorem rer. Al. indicare videtur coll. Arr. exp. 5, 4, 4 Ἀλ. γὰρ καὶ οἱ ξὺν τούτῳ στρατεύσαντες — ἐξήλεγξαν — μεγάλους μὲν τὰ σώματα — καὶ μελαντέρους τῶν ἄλλων ἀνθρώπων — καὶ τὰ πολέμια πολύ τι γενναιοτάτους, etc. Eadem de causa ne de Eratosthene quidem cogitari potest: atque etiamsi arbitremur eum haec ab alio eoque comite Al. habuisse, tamen ea ab operis eius ratione adeo abhorrent, ut mihi quidem persuasum sit, nullum ibi eis locum fuisse. Restat igitur ex tribus

illis Nearchus. Qui quamquam in opere suo narrationi reditus Indiae descriptionem praemisit, tamen earum tantum gentium nomina persecutus est, per quarum fines Alexander ab Hydaspe rediens iter fecerat. Illa autem ad initium expeditionis Indicae spectant. Adde quod idem de Semiramide et Cyro consentit fere cum Megasthene (cf. fr. 23). Confugiendum igitur est ad locum quem paulo ante attuli exp. 5, 5, 1 ubi praeter tres illos comites Al. auctores citantur. E quibus praeter Nearchum Aristob. Ptol. Arrianus neminem ipse evolvit: de Nearcho quidem diximus, Ptolemaeum autem talia tradidisse cum propter eius rationem narrandi tum propterea minus verisimile est quod Arr. in exped. hoc loco eum potissimum secutus Astacenorum nullam mentionem facit. Itaque illa de Astacenis, Assacenis, urbibusque eorum narrata ex Aristobuli libro desumpta esse existimo. Neque a vero aberrabimus si similitudinem quae inter hunc locum et Strab. intercedit ex eadem origine derivabimus. Atque haec quidem hactenus.

Sequitur brevis descriptio regni Taxilis, cum qua Diodori, Curtii, Plutarchi, Arriani narrationes comparari possunt. Copiosissime eam rem tractavit Curt. 8, 12; aquo Diod. 17, 89 nihil fere discrepat nisi quod de amicorum invidia benignitate regis excitata tacet et regem Mophem appellat, (quam veram nominis formam esse Lass. Ind. II, 122 iudicat), sed cum narratio eius omnino pressior sit neque quidquam valeat illa litterarum conversio in nomine regis, Raunius l. l. p. 25 ex eodem fonte i. e. ex Clitarcho utrumque hausisse iure existimavit. Plutarcho c. 59 autem id unum cum illis commune est quod Alexandrum cum dona a Taxile accepta mille talentis aucta reddidisset, barbaros mitigasse, amicos dolore affecisse memorat. At nonnulla de terrae natura et de sermone a regibus habito apud eum scripta invenimus. In Arriano res haec est (exp. 5, 3, 5—6 et 8, 2): urbem magnam fuisse, Alexandrum comiter esse exceptum, dona ultro citroque data esse is quoque memoriae prodidit, sed frustra quaerimus ea quae a Diod. et Curt. narrantur: initio Taxilem ab Alexandro pro hoste esse habitum, postea demum nomen Mophis vel Omphis Taxilis nomine eum mu-

tasse, benevolentiam illius erga eum Macedonibus invidiae fuisse. Strabo vero iterum nemini eorum plane similis est; propius tamen ab Arr. et a Plutarcho abest. Velim enim conferas:

Plutarchus	Arrianus	Strabo
τῆς Ἰνδικῆς μοῖραν . . εὔβοτον δὲ καὶ καλλίκαρπον ἐν τοῖς μάλιστα . . ὁ δὲ Ταξίλης λέγεται . . τὸν Ἀλέξανδρον ἀσπασάμενος . . . Λαβὼν δὲ δῶρα πολλὰ καὶ δοὺς πλείονα τέλος χίλια τάλαντα νομίσματος αὐτῷ προέπιεν. Ἐφ' οἷς τοὺς μὲν φίλους ἰσχυρῶς ἐλύπησε, τῶν δὲ βαρβάρων πολλοὺς ἐποίησεν ἡμερωτέρως ἔχειν πρὸς αὐτόν.	*ἐς Τάξιλα ἀφίκετο, πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, τὴν μεγίστην τῶν μεταξὺ... καὶ ἐδέχετο αὐτὸν Ταξ. ὁ ὕπαρχος τῆς πόλεως καὶ αὐτοὶ οἱ τῇδε Ἰνδοὶ φιλίως καὶ Ἀλ. προστίθησιν αὐτοῖς χώραν τῆς ὁμόρου ὅσης ἐδέοντο.* Plut. init. *μοῖραν οὐκ ἀποδέουσαν Αἰγύπτου τὸ μέγεθος.*	*Τάξιλά ἐστι πόλις μεγάλη καὶ εὐνομωτάτη, καὶ ἡ περικειμένη χώρα συχνὴ καὶ σφόδρα εὐδαίμων . . . ἐδέξαντό τε δὴ φιλανθρώπως τὸν Ἀλ. οἱ ἄνθρωποι καὶ ὁ βασιλεὺς αὐτῶν Ταξίλης· ἔτυχον δὲ πλειόνων ἢ αὐτοὶ παρέσχον ὥστε φθονεῖν τοὺς Μακεδόνας καὶ λέγειν ὡς οὐκ εἶχεν, ὡς ἔοικεν Ἀλ. οὓς εὐεργετήσει πρὶν ἢ διέβη τὸν Ἰνδόν. φασὶ δ' εἶναί τινες τὴν χώραν ταύτην Αἰγύπτου μείζονα*

De fontibus autem eorum haec sunt quae habeo. Nemo saepius in enarranda expeditione Indica a Plutarcho testis adhibetur quam Onesicritus cf. cap. 60, 61, 65. Eum autem hanc quoque partem illius expeditionis tradidisse eis quae ap. Strab. § 65 leguntur dilucide demonstratur. Itaque sive librum eius per alium noverat Plutarchus sive ipsum usurpavit — id quod ad liquidum perducere nunc longum est — hanc narrationem ex eo petitam esse contendo. Atque etiam Strabonem comparationem certe illam cum Aegypto factam ab eo habuisse affirmo praesertim cum aliud eius fragm. subsequatur. In reliquis autem quae et ab illo et ab Arr. tradita sunt, Aristobulum cognoscere mihi videor. Id quod in Arr. quidem nemo mirabitur, ad Strab. autem verba: *πόλις μεγάλη — ἤδη συνάπτουσα καὶ τοῖς πεδίοις* conferendum est illud quod ex Aristob. in § 17 invenitur: *καταβεβηκότων εἰς τὰ πεδία καὶ πόλιν Τάξιλα εὐμεγέθη.* Ab eodem mores Taxilensium uberius descriptos esse, Strab. §§ 61 et 62 docu-

mento sunt. Neque mirum est quod Onesicrito narratio eius similior est quam Clitarcho cf. enim p. 7 Subiunguntur pauca ex Onesicrito sumpta, vehementi reprehensione addita (fr. 7 Müll.). Ad ea quae sequuntur *περὶ δ' οὖν τῶν δρακόντων* etc. conf. est Diod. 17, 90, 1; ad certum auctorem referri nequeunt. Insequenti par. de ea regione agitur quae inter Hydaspem et Acesinem sita fuit. Complectebatur ea mesopotamia regnum Pori et magnam illam silvam cuius arboribus caesis classis Alexandri aedificata est. Regnum Pori trecentas urbes amplexum esse praeter Strabonem nemo memoriae prodidit: sed silva illa a Diodoro ita describitur (89, 4) ut cum Strabone ad verbum fere conveniat [8]). Sed tamen dubito num ex eodem fonte i. e. Clitarcho Strabo ea hauserit: nam accurata illa arborum enumeratio in Aristobulum quoque quadrat, quem quidem descriptioni herbarum beluarumque praeter ceteros operam dedisse notissimum est. Adde quod Erat. quoque alio loco (Strab. 11, 510 C.) classem Alexandri pinis Indicis factam esse dicit, a quo Aristobulum usurpatum esse constat (cf. Str. 16 p. 766 C.) Clitarchum consultum esse demonstrari non potest. Ut autem Aristobuli potius quam Clitarchi in mentem mihi venerit eo factum est quod ille contra Diod. 17, 95 Curt. 9, 3, 20 Iustin. 12, 9, 1 de loco quo comparata classis sit et unde profecta sit consentit cum Arr. exp. 5, 29 extr. 6, 1. Ind. 19, 2 et ipso Aristobulo ap. Strab. par. 17: cum illi in Acesinis ripis eam constructam et ex eo in Hydaspem vectam esse opinari videantur [9]), hi illud in Hydaspe factum esse narrant. Idem dissensus est de urbibus Bucephalia et Nicaea ab Alexandro conditis. Diod. enim 17, 89 haec habet: *τὴν μὲν πέραν τοῦ ποταμοῦ, καθ' ὃν τόπον αὐτὸς διέβη, τὴν δ' ἄλλην ἐν ᾧ τόπῳ τὸν Πῶρον ἐνίκησε*, et plane eadem legimus ap. Curt. 9, 1, 6, id autem flumen Hydaspem esse Curt.

8) cf. de hac silva Droys. hist. Al. p. 405 not. 55.

9) cf. Diod. 17, 95 *ἀνέκαμψεν ἐπὶ τὸν Ἀκεσίνην — καταλαβὼν δ' τὰ σκάφη — ἕτερα προσεναυπηγήσατο. — τῆς δὲ ναυτικῆς παρασκευῆς συντελεσθείσης, — μετὰ τῶν φίλων ἐμβὰς — πλοῦν ἐποιεῖτο. — ὡς δ' ἦλθον ἐπὶ τὴν Ἀκεσίνου καὶ Ὑδάσπου συμβολήν* plane ead. ap. Curt. leg. Ceterum haec discr. et Lass. et Droys. fugisse videtur.

quidem 8, 13, 5 memorat: sed miro consensu Diod. 17, 95, 5 et Curt. 9, 3, 23 ita de urbibus illis loquuntur ut si ad Acesinem sitae fuerint. Verum reperitur ap. Arr. exp. 5, 19, 4 et 5, 29 extr. et Plut. Al. 61. Iam de morte Bucephali Strabo nihil dicit nisi: *τοῦ πεσόντος ἵππου κατὰ τὴν μάχην τὴν πρὸς τὸν Πῶρον*; idemque tradunt Curt. 9, 3, 23. Diod. 18, 95, 5 Arr. 5, 14, 4 (*οἱ δὲ — λέγουσιν*), dissentiunt autem Onesicritus ap. Plut. Al. 61, et ut mihi quidem A. Schoene l. l. p. 92 persuasit, Aristob. ap. Arr. 5, 19, 4 (cui id quoque afferre licuit quod 5, 14, 4 ad deteriores illos fontes Arr. respicit). Itaque in hac quidem re Strabonem ab Aristobulo recedere videmus. Atque etiam nomen clarissimi equi aliter explicat atque ceteri cf. locos a St. Croix p. 215 not. 1. collatos. Simillima explicatio ea est quae a Gellio N. A. 5, 2 ex Charete, ut videtur, profertur: „equus Al. regis et capite et nomine Bucephalas fuit“: nec tamen quidquam inde colligere nobis licet. Quae deinde usque ad finem par. narrantur omnia ex Clitarcho profecta esse iam C. Müll. perspexit (vid. Clit. fr. 16). Mirum tamen illud est quod Strabo eum semel de rebus Indicis nominatim citat (par. 69) cum ceteros: Onesicritum, Aristobulum, Nearchum, Megasthenem persaepe testes afferat cumque in §§ sequentibus haud ita pauca ad eum pertineant. Neque illud neglegendum arbitror quod ne iis quidem locis ubi laudatur a Strabone, huic ipsum Clitarchi opus ante oculos fuisse pro certo affirmari potest. Nam V p. 224 C. quae affert de sale Indico ex quavis *παραδόξων* collectione sumere potuit; libr. XI, p. 491 C cum Posidonii, narratione scriptoris multo recentioris, sententia eius comparatur; libr. VI, p. 293 C. item a Posidonio potius quam a Strabone Clitarchus refellitur cf. Müllenhoff antiqu. Germ. p. 233 not.; libr. XI, p. 505 denique agitur de Amazonibus. De hoc loco cum A. Schaefero l. l. p. 441 mea quidem haec est sententia: iam ante Strabonem variorum scriptorum de ea re testimonia in unum collecta et examinata esse, eaque collectione et Strabonem et Plutarchum et Arr. usos esse. Quamobrem ea coniectura non omni veritatis specie carere mihi videtur aut ex commentariis suis de rebus Al. ea ita sumpsisse Strabonem ut auctorem neglegeret aut ex quovis

alio scriptore Clitarchi notitiam habuisse. De qua re etiam postea pauca erunt dicenda (ad § 69). Atque haec quidem ad Pori regnum pertinent: erant autem si Straboni fidem habemus qui Cathaeorum quoque et Sopithis terras intra illos fluvios collocarent; cum ceteri vel ultra Hydraotem sedes ac locum eos habuisse existimarent (init. § 30). Nemo tamen eorum qui etiamnunc exstant illam sententiam tuetur, nisi forte ex Arr. exp. 6, 2, 2 tale quid effici putamus (cf. Arr. exp. 5, 22, 1 Diod. 17, 91 Curt. 9, 1, 19 sqq. Iustin. 12, 8) [10]). Simili modo res diversas ille videtur miscuisse cum dicit, *καλοῦσι δὲ Γανδαρίδα τὴν ὑπὸ τούτῳ (Πώρῳ) χώραν*, Diod. enim 91, 1 expressis verbis dicit *Πῶρος πέφευγεν εἰς τὸ τῶν Γανδαριδῶν ἔθνος* atque etiam ceteri qui quidem Gandaridarum mentionem faciant, ut Plut. Al. 62 fines eorum ultra Gangem initium capere tradiderunt [11]). Adicitur descriptio morum Cathaeorum ex Onesicrito sumpta (de barbis fucatis cf. et Nearch. in Arr. Ind. 16, 9) (fr. 18 ap. Müll.). Similia de incolis regni Sopithis Diod. 91, 4—5 refert Curt. 9, 1, 24 sqq. adstipulante. Non iam ad Onesicritum pertinent ea quae inde a verbis *ἴδιον δὲ τῶν Καθαίων* etc. leguntur, mirum enim quantum cum eis concinunt quae de iisdem Diod. 17, 91, 3 (cf. 19, 53) memoriae tradidit. Vix igitur dubium est quin ex Clitarcho ea petita sint: nec vero ea solum sed etiam narratiunculam illam de Sopithis canibus par. 31 allatam ei tribuendam esse coll. Diod. 92 Curt. 9, 1 32 Ael. n. a. 8, 1 nemo negare potest. De eis autem quae descriptioni Cathaeorum adnexa sunt pauca tantum addenda esse arbitror. De sale Indico Clitarchum dixisse Strab. V, p. 224 C. testatur. Deinde Gorgus quis fuerit parum liquet, coniecturam de eo vid. ap. Droys. p. 558. Haud ita multum auri ferre Indiam contra eum et Megasth. ap. Strab. § 57 Arr. exp. 5, 4, 3 iure affirmat (cf. Lass. I, p. 238). Ad ultimum denique enuntiatum cf. Meg. ap. Str. § 44 extr.

10) Lass. antiq. Ind. I p. 300 inter Acesinem et Hydraoten Sopithis regnum situm fuisse demonstrat.

11) Droys. p. 406 not. 57 Straboni maiorem fidem habuit quam Diodoro nec tamen iure, ut mihi quidem videtur.

Eorum quoque quae initio § 32 narrantur auctorem quaerere supersedeo: nihil enim eorum a quovis scriptore rer. Al. dictum esse non potest. Fluviorum cum Indo confluentium numerum quindecim esse Arr. quoque bis memorat (Ind. 4, 8—13 et exp. 5, 6. 8) et altero loco Megasthenem testem nominat. Arbitrari igitur nobis licet hic quoque eum esse auctorem. Alii quidem alios numeros habent, ut Plin. n. h. 6, 23, 1 undeviginti fluvios in Indum influere dicit. In numero eorum qui paullo post *οἱ μὴ μετριάζοντες* nominantur Ctesias est ap. Arr. 5, 4, 2 quem ipsum in animo fortasse Strabo habuit cum haec scripsit. Et cum neque is neque Arrianus Ctesiam ipsum usurpaverit (id quod de Arr. in aperto est, de Strabone alio loco demonstrabitur) non inepte conicimus Megasthenem testimonium eius servasse quippe qui saepius eum respexerit (cf. fr. 19 cum Ctes. p. 369 ed. Baehr). De ceteris numeris inter Arr. et Strab. dissensus est. Arr. enim exp. 5, 20, 9 flumen ubi medium sit quadraginta stadia, ubi angustissimum sit quindecim stadia latum esse tradit (cf. praeterea 6, 14, 5 et 6, 18, 5). At Plin. *τοῖς μετριωτέροις* maiorem fidem habet in h. n. 6, 23, 1 „nusquam latior quinquaginta stadiis". Nec tamen quidquam de fonte huius aut Strabonis affirmare audeo idemque cadit in ea quae de Alexandri expeditione adduntur.

Tum ea repetit quae Onesicritea esse p. 5 satis probasse mihi videor, ita tamen ut fidem eorum in dubium vocet. Eodemque modo ad ea respicit quae § 8 Megasthene praeeunte de Sibis, Mallis, Sudracis disputavit. In Mallorum finibus grave illud vulnus accepisse Alexandrum praeter Strabonem Arr. exp. 6, 10 et Plut. Al. c. 53 et de fort. Al. 1, 2 tradunt, ceterorum opinio ea est: in Oxydracis vel Sudracis in periculum illud eum incidisse (cf. Curt. 9, 4, 26; Diod. 17, 96 sqq. Paus. 1, 6, 2 Steph. s. v. *Ὀξυδράκαι*, App. b. c. II extr. Luc. dial. mort. XIV. Droys. p. 440 not. 97). Quisquis igitur auctor illius fuit, ex consensu Arriani et disputatione eius 6, 11, 3 videmus memoriam fide digniorem cognitam ei et probatam fuisse. Cumque Arr. l. l. eam *τῷ παντὶ λόγῳ* opponat, veri non est dissimile Aristobulum auctorem

eius esse. — Deinde nonnulla ex libris plurium scriptorum congeruntur. Qui cum nominentur, de hoc loco non amplius est disputandum (cf. Lassen II p. 666), sed opera digna est comparatio Arriani. Cognoscimus enim ea in exp. 6, 20, 2 ab eo Nearchum Aristobulo anteponi [12]). Sequitur brevis refutatio Onesicriti, qui Indi delta delta Aegyptio par esse contenderat. Mensuram delta Aegyptii Eratostheni debet cf. 17 p. 786 C.

Iam regionem ad Indi ostia sitam descripturus iterum Onesicritum adit. Qui locus diligentiam Mülleri v. d. non fugit ille quidem, sed actioribus cancellis ab eo circumscriptus est. Nam postquam Strabo sic scripsit: *λέγει δὲ καὶ περὶ τῆς Μουσικανοῦ χώρας ἐπὶ πλέον ἐγκωμιάζων αὐτήν, ὧν τινα κοινὰ καὶ ἄλλοις Ἰνδοῖς ἱστόρηται* — pergit paullo post his verbis: *ἴδιον δὲ τὸ συσσίτια* etc.: quae ego quidem interpretari non possum nisi sic: multa de Musicani regno laudat, quae eis cum aliis Indorum gentibus communia sunt, velut etc., proprium autem eorum est quod etc. i. e. Onesicritum et haec et illa tradidisse. Confirmatur autem ea sententia par. 54 extr., ubi idem testis est, incolas terrae Musicani servis non uti solere, quod idem hoc loco scriptum invenimus *τὸ ἀντὶ δούλων τοῖς ἐν ἀκμῇ χρῆσθαι νέοις*). Totam igitur descriptionem (uno illo enuntiato de Seris excepto quod Megasthenis esse § 37 docet (Cramer glossema esse suspicatur)) Onesicriti fragmentis (20) addi licet.

Paragr. insequenti virum haud mediocris ingenii se praestat Strabo cum epistolae quae Crateri esse ferebatur omnem fidem detrahit. Nam re vera nil nisi miseri falsarii cuiusdam misera inventa continuisse videtur. Subiungit autem pauca ex Megasthene, id quod Arr. Ind. 4, 7 et 13 (exp. 5, 6, 7) coll. dilucide demonstratur. Sed aut ipse aut Arr. neglegentius eum inspexit: apud illum enim haec sunt *Μεγασθένης δὲ, ὅταν ᾖ μέτριος, καὶ εἰς ἑκατὸν εὐρύνεσθαι*, hic autem dicit: (*λέγει Μεγ.*) *εἶναι ὧν τὸ εὖρος τῷ Γάγγῃ ἔνθα-*

12) Grossk. III, 135 pro *διακοσίους* „*εἴκοσι*“ scribendum censuit. Qua coniectura non opus est. Vid. Cramer. ad h. l. Cogitari etiam potest, loca permiscuisse Strab. nam alt. ostium Indi ducenta stadia latum esse Arr. quoque narrat 6, 18, 5.

περ αὐτὸς ἑωυτοῦ στεινότατος ἐς ἑκατὸν σταδίους. Adiuvatur tamen illius auctoritas a Plinio qui 6, 22 de Gange haec docet: „ubi modicum, stadiorum centum“ (cf. Meg. fr. 18) Cum ceteris numeris a Strabone in hunc locum congestis velim conf. Plut. Al. 62 et Diod. 17, 93.

Eundem Megasthenem in §§ 36—42 secutus est (fr. 10, 25, 26 etc.). In extr. § 36 de suo Parthica quaedam affert; de Palibothris cum Arr. Ind. 10 plane consentit, de formicis vid. fr. 39; de simiis, tigribus, serpentibus vid. fr. 11 et 12 (ex Aeliano). Deinde Silam fontem eum descripsisse Arr. quoque et Diod. testantur (fr. 1 et 19). Primus Ctesias hunc mirum fontem videtur memorasse (cf. Baehr Ctes. p. 369), post eum Democritum et Aristotelem quaestiones de eo instituisse hoc loco a Strabone discimus. Qui ipse rem explicare studet. Quibus disputatis in quot qualesque classes Indi descripti fuerint eodem auctore usus cum copia quadam exponit (fr. 36). Nihil fere differt a Diod. et Arr. qui eundem secuti eadem (II, 40 et Ind. 11) literis mandaverunt (fr. 1 et 35), neque debet dubitari quin unusquisque eorum ipsum librum Megasthenis versaverit. Neque aliter rem se habere in eis quae de venatione elephantorum et eorum natura dicuntur, quicunque Arr. Ind. 13 et Diod. II, 42 (fr. 1, 36, 39) comparaverit facile sibi persuadebit. In § 43 de eisdem rebus ex Onesicrito (fr. 21) et Nearcho (fr. 16) nonnulla sumuntur. Arr. Ind. 17, 2—3 ex eodem Nearcho profecta esse supra animadvertimus p. 19. Verba extrema § 43 *οὗτος δ' ὁ λόγος* etc. ad ea spectant quae extr. § 41 Megasthenes affirmaverat. Pergit autem Strabo cum fabulas de formicis aurum effodienticus refert. In qua re initium facit a Nearcho (cf. Arr. Ind 15, 4) tum Megasthenis narrationem repetit (fr. 39). Reliqua quoque animalia Indica par. 45 paucis describuntur partim ex Nearcho partim ex Aristobulo desumptis (fr. 15 et 32). Atque huius quidem narrationem ipse Strab. semel confirmat, cum dicat se quoque serpentem tantae magnitudinis in Aegypto vidisse ex India importatum (*καὶ ἡμεῖς δὲ* etc.) Onesicritus quoque semel affertur, sed de ea re vid. p. 7. Iam venimus ad eam partem descriptionis Indiae quae tota fere ex Megasthene petita est. Ac ne longus sim liceat mihi

singula quaeque silentio praeterire: satis sit monuisse inde a par. 45 usque ad par. 61 omnia fere ad eum pertinere. Ad comparandum autem exstant Diod. II, 41 et Arr. Ind. 12 qui eundem secuti pari fide sunt atque auctoritate (fr. 36) (cf. et Arr. Ind. 10). Sed multo maiorem partem libri illius Strabo nobis servavit et per eum solum ea quae de agoranomis, astynomis, praetoribus militum ille tradiderat posteritati propagata sunt (fr. 36 a) (De Onesicriti testimonio par. 54 extr. allato supra dictum est). Nec vero omnia probantur Straboni, sed §. 57 fabulas eius de Pygmaeis, Unoculis, similibus vehementer exagitat (fr. 30). Qua de re Schwanbeck Meg. p. 65 sqq. tam diligenter disputavit ut in ea diutius versemur non oporteat. Hoc unum commemoro, item Timagenis fabulas ab eo respui (*μῦθος δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ Τιμ.* etc.) de quo cf. Müll. fr. hist. III, 317. Neque dubium est quin eius liber ipse in manibus illi fuerit. Aequalis enim fere fuit Strabonis.

Neque minus eam opinionem Megasthenis impugnat (§ 58) philosophos quosdam Indorum Liberum colere (fr. 40). Quae vero de Brachmanis et Sarmanis vel Garmanis apud eum invenerat (Duncker II, p. 258, not. 6 Sramanis) ut vera recipere non dubitavit (§. 59 et 60) eiusque unius opera haec narratio quae magno momento est ad cultum moresque veterum Indorum cognoscendos ad nostram aetatem pervenit; etsi pauca de ea re Bardesanes quoque exscripserat (cf. Müll. ad fr. 40) [13]).

Huius narratione absoluta ad Aristobulum revertitur in §§ 61 et 62 (fr. 34 a). A quo plura repetuntur quae ad Taxilenses spectant, quibus et ille et Onesicritus magnam operam dedisse videntur. Atque haec quidem apud unum Strabonem exstant, sed colloquium illud §§ 63 et 64 ab Onesicrito relatum (fr. 10) apud Plut. quoque Al. 65 reperitur, ita tamen vehementer mutilatum ut eiusdem auctoris esse aegre credatur. Consentaneum est eos de iisdem rebus narrare simillima cf.

13) Meineckii enim dubitationem (vind. Strab. p. 132) ipsius coniectura l. l. allata *ἄλλην δ' ἔτι διαίρεσιν* tolli existimo.

ἐξουσίαν ἔχοντας ὅτι βούλονται τῶν ὠνίων φέρεσθαι δωρεάν κ.τ.λ. cum ὅτῳ δ' ἂν κομίζοντι σῦκα etc. cf. §. 61 et 65.

Postremo § 66 et 67 Nearchus testis affertur (fr. 7). Verbis quae sunt τῶν ἄλλων γράμμασιν αὐτοὺς μὴ χρῆσθαι iniuria falsam opinionem Megastheni tribui a Strabone Schwanbeck. Meg. p. 51 recte animadvertit (cf. et. Lass. antiqu. I, 840). Quibus autem armis Indi uti consuerint (§ 66) multo copiosius idem describit ap. Arr. Ind. 16, 6—12.

Paucis rebus interiectis quarum fontes exquirere parum interest Strabo ad luculenter demonstrandum quam vehementer scriptores inter se dissentiant quae, de Calani morte ab iis memoriae prodita sint in medium sese proferre profitetur. Eum enim cum Alexandro fuisse et mortem voluntariam obiisse affirmare omnes, sed qua ratione et quibus de causis mortem sibi consciverit inter eos non constare. Addere ei licuit de loco quoque esse dissensum. Ac de causis quidem unus Megasthenes ceterorum sententiis videtur adversatus esse, cuius severum iudicium praeter Strab. Arr. exp. 7, 2 2 (nam inde iam narrationem eius incipere ex comparatione apparet fr. 42 et 43) repetivit. Locus autem siletur ab Arr. (7, 3, 1 ἐν τῇ Περσίδι γῇ), ap. Strab. est *Πασαργάδαι*, ap. Plut. Al. 69 idem locus significari videtur (ἐνταῦθα — antea sepulcri Cyri mentione facta) ap. Ael. v. h. V, 6 ἐν τῷ καλλίστῳ προαστείῳ τῆς *Βαβυλῶνος*, ap. Diod. 107 denique altum silentium (Droys. p. 503 not. 41 Susis cremationem factam esse probabilibus causis demonstrat). Quod vero crematio ipsa ab alio aliter narrata sit nemini potest mirum videri qui memoria tenet quanta libidine exornandi et exaggerandi omnes fere scriptores Al. rerum fuerint. Et quamquam res ipsa haud ita multum valet, tamen de origine diversarum narrationum pauca dicere mihi liceat. Ut autem primum id ponam quod mihi quidem certissimum videtur: Plut. narratio 69 et 70 ex Charete manavit. Nam ea verba quae Calano morituro tribuuntur: παρεκάλει τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡδέως γενέσθαι καὶ μεθυσθῆναι μετὰ τοῦ βασιλέως ad ea quae sub finem narratiunculae ex illo afferuntur optime quadrant et remotiorem fontem Plutarcho patuisse ex eo manifestum est quod neque Straboni neque Diodoro neque Arriano ulla similitudo cum eo est

nisi quod Arr. 7, 18, 6 vaticinium illud de morte regis memorat his verbis praemissis (ὑπὲρ Καλ.) τοιόςδε τις ἀναγέγραπται λόγος i. e. eisdem verbis quibus 4, 12, 3 res quaedam ex Charete citatur (cf. Plut. Al. 54). Hac ipsa re igitur sententia nostra confirmatur: etsi Charetem ipsum ab Arriano usurpatum esse nullo modo verisimile est. Strabonianarum autem narrationum prior plane congruit cum Diod. 107, et similis est eis quae Arr. 7, 3, 1—2 οἱ δὲ etc. narrat. Quod cum ita sit, Strabonem cum Diodoro a Clitarcho, Arrianum ab Aristobulo ea habuisse arbitror. Diodorum enim in hac re alium auctorem selegisse parum verisimile est — etsi iure miretur quis, et Curtium et Justinum hanc egregiam occasionem fabulandi praetermisisse — neque magis credibile est, Arr. hoc loco fontes adamatos aspernatum esse: quoniamque tales res cum studio quodam describere proprium est Arist. eum pro auctore illius habeo. Quamquam non valde repugno si quis ex eo quod in re ipsa Ptolemaei mentio facta est contrarium efficiat. Quae autem altero loco et a Strabone et ab Arriano afferuntur, neque inter se neque cum Aelian. l. l. conferri possunt. Cumque in rebus futilissimis versentur, in ea coniectura acquiesco: Arrianea a Nearcho potissimum, Straboniana ab Onesicrito esse profecta, quos de ea re scripsisse Arr. eiusd. cap. §. 6 et Luc. de morte Peregr. c. 25 testantur. De Ael. autem ne coniecturam quidem facere audeo.

Insequenti autem par. haec continentur: initio pauca quaedam legimus de cultu deorum; deinde memoratur, cum rex capillum lavet diem festum agi; tum dierum festorum pompae et apparatus accuratius describuntur. De industria ea omisi quae in his enuntiatis narrantur: τῶν τε μυρμήκων et ψήγματα τε χρυσοῦ — ineptissimo enim loco posita connexum orationis adeo interrumpunt ut alterum affictum ab homine otioso alterum ex par. 57 repetitum esse existimem. Fontes autem huius par. duobus locis indicantur: initio: λέγεται δὲ καὶ ταῦτα παρὰ τῶν συγγραφέων et postea: ὁ δὲ Κλείταρχός φησιν. Atque ut ordine singula persequar, de cultu deorum Lass. II, 698 verum repperisse mihi videtur cum Megasthenem ea tradidisse suspicatur — de Gange certe illud Alexandri comitum nemo scire potuit. Aliter ea sese

habent quae subsequuntur. Nam cum §. 55 de regis vita plurima ab illo Strab. descripsisset, mirum esset si hoc loco rem satis levem ex eodem supplevisset. Accedit etiam quod Curt. 8, 9, 27 similia habet: regia adeuntibus patet, quum capillum pectit atque ornat' quem Megasthenis libro usum esse nemo adhuc contendit. Cumque idem consensus appareat in eis quae proxime sequuntur praestat illa una cum eis tractare. Haec autem Müll. iure quod sentiam Clitarchi reliquiis adnumeravit (fr. 17) neque dissimile veri est, illa quoque ab eo esse narrata. Sed num ipsius scripta Strabo in manus sumpserit cum hunc librum conscriberet supra iam dubitavimus. Itaque de ea re nunc pauca dicenda sunt. Fateor ego quidem plane eam enucleari non posse: probabilis tamen est coniectura quae hoc loco ad Clitarchum referantur a Timagene eum habuisse. Quem Clitarchi asseclam fuisse locus ille Curtianus (Clit. fr. 1) declarat; a Strabone saepius usurpatum esse demonstrare non opus est.

Superest ut de par. 70—71 brevis quaestio instituatur. Haec tota fere est de iis philosophis Indicis qui Pramnes appellabantur. Ac Lass. quidem vir doct. cum saepius hunc locum memoraret cf. mus. Rhen. 1, 183. antiq. Ind. 1, 425. II, 701 not. eum qui haec exploravisset literisque mandavisset in comitibus Alexandri fuisse suspicatus est. Neque quidquam obstat quominus comitem vel aequalem illius auctorem iudicemus, sed desperandum est accuratius eum posse significari. Hoc quidem recte dici potest, et Onesicritum et Nearchum et Megasthenem ex eorum numero qui hoc loco respiciendi sint esse eximendos. Conf. enim Onesicr. in §. 30 *βάπτεσθαι* et quae seq. cum hui. par. *Ινδοὺς ἐσθῆτι λευκῇ χρῆσθαι* etc.; de Megasth. §. 54 *σινδόνας τε φοροῦσιν ἐἰανθεῖς* cum eisd; praeterea init. cum par. 59; Nearchus denique in §. 66 *τοὺς μὲν Βραχμ.* dicit *πολιτεύεσθαι — τοὺς δ' ἄλλους σκοπεῖν τά περὶ τὴν φύσιν;* id quod repugnat exordio par. 71. Et quamquam Curt. 8, 9, 31 sqq. pauca quaedam similia narrat, hoc eo minus valet, quod plura etiam cum eis congruunt quae paullo ante Meg. exposuit (58—60). Differendum igitur est iudicium quoad alicunde rei lux afferatur.

Non est cur de eis quae in par. 72 et 73 de Artemidoro

et de Nicolao Damasceno depromuntur amplius disputemus siquidem libros eorum ei patuisse constat. (De Nic. cf. supra p. 6 et fr. 91 ap. Müll.)

CAPUT ALTERUM.

DE ARIANORUM ET PERSICORUM FONTIBUS AGITUR.

Arianam Strabo eam partem Asiae nominat quae Oceano, Indo, Tauro, linea cogitatione inde a portis Caspiis usque ad Carmaniam ficta continetur. Videmus igitur descriptionem Asiae ab Eratosthene institutam eum iterum esse amplexum cf. Strab. II, 78 et 84 C. Nec vero solum terminos sed etiam mensuras orae meridionalis ab eo habuit. Laudat enim ille quidem Nearchum neque dubium est quin is cum primus Graecorum has regiones pervestigasset, primus illas divulgaverit (cf. Arr. Ind. 21, 8. 25, 3. exp. 6, 21. Plin. n. h. 6, 23, 97) sed duabus causis eo adducor ut haec omnia Eratostheni danda esse censeam. Nam primum is eundem numerum ratiocinando repperit quem Strabo in extr. par. affert; cf. § 8 *ἔχοι ἂν τὸ λειπὸν τὸ ἐπ' εὐθείας μῆκος τῆς χώρας, μυρίων καὶ τετρακισχιλίων· οὐ πολὺ γὰρ ἔλαττον τὸ τῆς παραλίας* etc. Deinde vero Nearchus ap. Arr. Ind. 29, 8 litus Ichthyophagorum paullo longius esse scribit decem milibus stadiorum; et quamquam huic rei error videtur subesse — e singulis enim numeris illa summa colligi non potest — tamen Strabo et Arr. ll. adeo dissentiunt, ut cum C. Müll. ad loc. Arr. Eratosthenem cum mensuras finium computaret pro decem milibus a Nearcho traditis sinuum ambagibus neglectis 7400 posuisse mihi persuadeam. Talia enim eum non fugisse dummodo *σφραγῖδας* illas quadraret ex Strab. II, 78 sqq. cognitu perfacile est. Non sine causa igitur hos numeros omnes in libro Eratosthenis exhibitos fuisse contendimus.

Quin etiam opinetur quispiam ea quae §§ 2 et 3 de Ichthyophagis et de Gedrosia scripta inveniuntur, ad eundem pertinere quod manifestum sit ea quoque auctorem principem habere Nearchum. Sed cum certis argumentis careamus, in

eo acquiescendum arbitror ut Nearchum ea prodidisse demonstremus. Quod de alterius par. argumento coll. Arr. Ind. 29, 9 sqq. nemo infitiabitur: ibi enim ab eodem eadem narrantur. (add. 26, 7; 28, 1.) Minus idem elucet in eis quae sequuntur. Haeremus enim primo obtutu in eo quod Arr. in hist. Ind. ex Nearcho exscripta Gedrosiam perquam breviter attingit; sed ipse affert causam cum 26, 1 de periculis laboribusque ab Alexandro exercituque eius ibi perlatis haec dicat: *ταῦτά μοι ἐν τῇ μέζονι συγγραφῇ ἀναγέγραπται.* Et profecto apud eum in exped. 6, 23–25 compluria e Nearcho petita invenimus quae huc spectant. E quibus 25, 4 conf. est cum Strab. verbis quae sunt: *πίπτειν δὲ τοὺς ὄμβρους* etc., reliqua autem magnam partem postea a Strabone referuntur, cum ea quae hoc loco de natura Gedrosiae addita sunt apud Arr. desiderentur. Sed facile fieri potuit ut in descriptione expeditionis Al. Arrianus ea quae ad naturam regionis illius pertinerent, praetermittenda esse arbitraretur. Illud quoque satis multum affert ad confirmandam sententiam meam quod comparatio Gedrosiae cum agro Ichthyophagorum (*πολὺ ἀμείνων τῆς τῶν Ἰχθυοφάγων*) par. 14 repetitur, idque ita ut ex Nearcho haustam eam esse si minus certum, at tamen veri simillimum sit. Non igitur sic statuere dubito: in Gedrosia quoque scribenda Nearchi vestigiis Strabonem insistere.

Quae autem modo perlustravimus cum eis quae par. ins. de expeditione Al. perhibentur tam apte cohaerent ut eorum quoque auctorem illum esse iudicandum facile suspicemur. Cui nihil repugnat. Haec enim ratio inter eos intercedit qui de expeditione Gedrosiana scripserunt: et Plut. et Just. narrationes breviores sunt quam ut in comparationem vocari possint, Curt. et Diod. inter se consentientes et ab Arr. et a Strabone vehementer discrepant; hi ipsi satis bene concinunt. Etenim Craterum cum parte copiarum per Arachotos et Drangas in Carmaniam missum esse neque Diod. neque Curt. memorant; Arr. exp. 6, 17, 3 et 6, 27, 3; Strab. etiam §§ 5 et 11 eius rei mentionem faciunt. Deinde Curt. 9, 10, 6. 'Ibi' (in Oritis) maiorem exercitus partem Hephaestioni tradidit, levem armaturam cum Ptolemaeo Leonnatoque par-

titus est' etc; eademque scripta invenimus ap Diod. 104, 5 et 6 cum neque Arr. neque Strabo hanc partitionem commemorent. Jure igitur potest negari Clitarchum a Strabone esse usurpatum, sed dubium est, Aristobulum an Nearchum secutus sit. Ad eam sententiam defendendam quam supra posui, haec afferre mihi liceat. Consentaneum est Nearchum cum id potissimum ageret ut navigationem suam scriberet expeditiones minores in Oritis et in Gedrosia a singulis ducibus Al. factas minus curasse itaque ex pluribus divisionibus exercitus (plures enim factas esse Arr. quoque testatur) eam solam commemoravisse quae ipso praesente ad Indum[14]) instituta esset. Id quod in narrationem a Strabone relatam optime quadrat. Ac ne illud quidem neglegendum est quod quamvis brevior sit ille Arriano, tamen habet quaedam quae frustra in alterius libro quaeras, velut solus narrat quingentis stadiis a mari regis agmen iter fecisse. Apparet igitur coniecturam supra factam ceterorum scriptorum comparatione confirmari potius quam labefactari.

Sequitur alius locus Nearchi a Müll. in frgm. eius receptus (n. 19) qui tamen amplificetur necesse est. De Crateri enim mentione quid sentiamus modo exposuimus; ea quae proxime sequuntur eiusmodi sunt ut non sit cur Nearcho ea derogemus, ea vero quae in extr. § 5 et § 6 traduntur ab eo repetenda esse manifestum est. De illis enim cf. Müll. ad Nearch. fr. 23 et supra p. 6. Cum his autem conferas velim Arr. exp. — *πρὸς δὲ — νυκτοποροῦντας τὸ πλέον* = exp. 6, 24, 4—6; *πόρρω δὲ — βραχέα ὄντα διέφθειρον* = exp. 6, 25, 6; — *ἐξηλείφθη πολλή* = exp. 6, 25, 3-5. fin. par. 6. = exp. 6, 26, 4-5.

Quae qui comparaverit facile videbit ut Arr. cap. 24 sic et eiusdem cap. 25 et 26 (exc. §§ 1 et 2) et Strab. § 6 ex Nearcho manavisse. Itaque et fr. 19 et fr. 23 ap. Müll. iis complenda sunt. Ad hanc descriptionem Arr. etiam in Ind. 32, 1 respicit; ceteri scriptores rer. Al. alios fontes adierunt.

14) Nam per errorem in narrat. Strab. § 5 pro eo Hydaspem nominari Droys. p. 454 not. 113. iure animadvertit; neque dubito eum tribuere Straboni.

Atque haec quidem de difficultatibus laboribusque ab Al. in Gedrosia superatis dicenda putavit, pergit autem cum de herbarum et arborum quarundam viribus ac natura pauca quaedam explicat. E scriptoribus rer. Al. unus Aristobulus similia tradit ap. Arr. exp. 6, 22, 4. Cuius descriptio talis est ut eum Straboni auctorem fuisse satis credibile sit. Quamquam enim non plane eadem apud utrumque leguntur, alter descriptionem alterius optime supplet neque ullus dissensus deprehenditur. Adnectitur autem a Strabone fabula illa de Ptolemaeo vulnerato et mirum in modum sanato. Hanc praeter eum Diod. 17, 103. Curt. 9, 8, 22. Justin. 12, 10, 3. Cic. de div. II, 66 memoriae tradiderunt. Qui inter se nihil differunt (Lass. enim antiqu. Ind. II, 179 not. I locos non satis intellexit), a Strab. autem eo dissentiunt quod in Indis vel Brachmanis eam rem accidisse et a serpente Alexandro remedium monstratum esse uno ore tradunt. Nec vero dubium est quin ii omnes a Clitarcho ea habuerint (cf. Raun l. l. p. 46). Et quamquam vereor ne paullo confidentius Raun l. l. de Strabone idem contenderit, ut qui discrepantiae illius rationem non duxerit, tamen si reputamus eius rei et ap. Plut. et ap. Arr. neque volam, ut aiunt, neque vestigium exstare a Clitarcho eam excogitatam esse existimare nobis licet. Iterum autem ex ea discrepantia inter Strab. et ceteros iure colligere mihi videor, Straboni cum haec conscriberet Clitarchi scripta ad manum non fuisse. Ceterum de fide narratiunculae satis sobrium iudicium subiungit. Denique sexaginta diebus Oris usque ad regiam Gadrosorum regem pervenisse scribit. Qui numerus cum a Plut. Al. 66 et Arr. exp. 6, 24, 1 proferatur, a Diod. et Curt. reticeatur, ab Aristobulo potius vel Onesicrito quam a Clit. videtur traditus fuisse.

Insequenti par. Arianam superiorem descripturus ipse auctorem laudat Eratosthenem his verbis: *περὶ ὧν Ἐρ. οὕτως εἴρηκεν· οὐ γὰρ ἔχομέν τι λέγειν βέλτιον περὶ αὐτῶν.* Iniuria autem Bernhardy solam octavam § Eratostheni tribuit (fr. 115) nam quae modo exscripsi non minus ad singulas gentes: Drangas, Arachotos, Paropamisadas quam ad Arianam ipsam spectant. Earum autem fines sedesque nona demum § enarrantur cumque ibi nihil inveniatur quod in libro Era-

tosthenis locum habere non potuerit — nam etiam illa *ἔδωκε δὲ Σέλευκος* etc. a Megasthene habere potuit — hanc totam illius frgts. adnumerandam esse existimo.

Nec vero eis contentus fuit Strabo, quae ille more suo quam brevissime expresserat, sed ut magis etiam regiones illae cognoscerentur, qua via Alexander Bessum persecutus esset accuratius perscribere instituit. Ac si quaerere volumus quibus fontibus usus sit iterum recordari debemus, peculiarem librum de rebus Al. ab eo esse conscriptum, quem hoc loco in usum suum convertere posset, sed sic quoque de illis coniecturam facere nobis licet. Quam ut probemus ceteros scriptores rer. Al. contendamus. Ut enim iter per Arios, Drangas, Euergetas, Arachotos, Paropamisadas regem fecisse inter omnes constat, ita de singulis quibusque plures narrationes discerni atque distingui possunt. Sed ut primum quidque perlustremus, occurrit mentio coniurationis a Philota factae: de qua e ceteris unus Arr. in exp. 3, 26 (vel potius Ptolemaeus) obloquitur Diod. 17, 79. Curtio 6, 7 — fin. Just. 12, 5, 3; Plut. Al. 48, 50 qui omnes damnationem Philotae Alexandro crimini tribuunt. Strabo autem quantum perspicio cum dicat: *ἀνεῖλε τὸν Παρμενίωνος υἱὸν φωράσας ἐπιβουλήν* cum Arriano sontem eum fuisse iureque damnatum existimat[15]). Deinde eos qui missi sunt ad interficiendum Parmenionem camelis usos esse Diod. 17, 80 et Curt 7, 2, 18 tradunt; iam undecimo die Ecbatana eos venisse unus Curt. praeter Strab. memoriae prodidit. Quae proxime de Drangis et de tempore quo rex per Paropamisadas profectus sit a Strab. adduntur, nusquam alibi exstant. At reliqua collata cum ceteris ante oculos ponere libet.

Strabo	Curtius	Diod. 82, 2	Arr. exp. 3, 28, 1
ἔστι δ' ὀρεινὴ καὶ κεχιονοβόλητο τότε ὥστε χαλεπῶς ὡδεύετο. πυκναὶ μέντοι κῶμαι δεχόμεναι πάντων εὔποροι πλὴν ἐλαίου παρεμυθοῦντο τὰς δυσκολίας.	ad haec cf. 7,3,6: multo uberius. 7, 4, 23: suco ex sesamo expresso haud secus quam oleo artus perungebant (in Paropamiso).	*ἡ δὲ τούτων χώρα κεῖται μὲν ὑπ' αὐτὰς τὰς ἄρκτους, χιονοβολεῖται δὲ πᾶσα· ἡ πλείστη δὲ πεδιάς οὖσα καὶ ἄξυλος, πολλαῖς κώμαις διείληπται*	*ξύμπαντα δὲ ταῦτα τὰ ἔθνη διὰ χιόνος τε πολλῆς καὶ ξὺν ἀπορίᾳ τῶν ἐπιτηδείων καὶ τῶν στρατιωτῶν ταλαιπωρία ἐπῆλθε.*

15) nec tamen assentior Droys. v. d. p. 296 not. 19 doch bestätigt Strabo's grosse Autorität die Anwendung der Tortur gegen Philotas.

Adde etiam haec:

Strabo.	Aelian v. h. XII, 37	Arr. exp. 3, 28, 4	Curt. 7, 3, 22	Diod. 83, 1.
διαχειμάσας δ' αὐτόθι ὑπερδέξιον ἔχων τὴν Ἰνδικὴν καὶ πόλιν κτίσας ὑπερήκρισεν εἰς τὴν Βακτριανὴν διὰ ψιλῶν ὁδῶν πλὴν τερμίνθου θαμνώδους ὀλίγης ἀπορούμενος καὶ τροφῆς ὥστε ταῖς τῶν κτηνῶν σαρξὶ χρῆσθαι καὶ ταύταις ὠμαῖς διὰ τὴν ἀξυλίαν· πρὸς δὲ τὴν ὠμοσιτίαν πεπτικὸν ἦν αὐτοῖς τὸ σίλφιον πολὺ πεφυκός. πεντεκαιδεκαταῖος δὲ ἀπὸ τῆς κτισθείσης πόλεως ἧκεν εἰς Ἄδραψα.	αὐτὸς δ' ἥψατο τῶν καμήλων καὶ ὑποζυγίων ἄλλων καὶ οἱ σὺν αὐτῷ· τῶν δὲ ξύλων αὐτοῖς ἐπιλιπόντων ὠμὰ τὰ κρέα ἤσθιον. ἐπεκούρει δὲ αὐτοῖς τὸ σίλφιον πολὺ ὂν ὥστε τὰς σάρκας συνεκπέττειν· ἐν δὲ τῇ Βακτρ. οἱ στρατ. τὰς κώμας κατελάμβανον ὅτι οἰκοῦνται ἐκ τοῦ καπνοῦ συνιέντες.	πρὸς τὸν Καύκασον τὸ ὄρος ἦγεν ἵνα καὶ πόλιν ἔκτισε — ἔν γε τούτῳ τῷ Καυκάσῳ οὐδὲν ἄλλο ὅτι μὴ τέρμινθοι πεφύκασι καὶ σίλφιον ὡς λέγει Ἀριστόβουλος, ἀλλὰ καὶ ὡς ἐπῳκεῖτο πολλοῖς ἀνθρώποις καὶ πρόβατα πολλὰ καὶ κτήνη ἐνέμοντο (ultra Cauc.) 9. ἤλαυνεν – χαλεπῶς μὲν διά τε χιόνος πολλῆς καὶ ἐνδείᾳ τῶν ἀναγκαίων ἐς Δράψακα ἀφικ.	condendae in radicibus montis urbi sedes electa est (Cauc. superato). 4, 24. In quarum penuria milites fluvia tili pisce et herbis sustinebantur.— quum iumenta quibus onera portabant caedere iussi sunt. 3, 22. XVII dierum spatio Caucasum superavit exercitus.	πλησίον τοῦ Καυκ. κατεστρατοπέδευσεν — τὸ δὲ ὄρος τοῦτο διελθὼν κατὰ πλάτος ἐν ἡμέραις ἑκκαίδεκα, πόλιν ἔκτισε — καὶ ἄλλην δὲ πόλιν ἔκτισεν. – 82, 8. ἀλλὰ μόνῳ τῷ κάπνῳ δηλουμένων τῶν κωμῶν etc.

Atque ut prius de eis quae modo in conspectu posui dicam quid sentiam Clitarchi narrationem sic restituendam esse arbitror. Quae de expeditione per Paropamisadas ad Caucasum versus facta litteris mandaverat, ea inveniuntur ap. Diod. 17, 82 et Curt. 7, 3, 6—29, qui ad verbum paene inter se consentiunt. Atque etiam apud Ael. in extremis verbis illum cognoscere mihi videor, nisi quod errore ductus ea quae de Paropamisadis dicta erant ad Bactrianam rettulit. Deinde Curt. 7, 3, 19 sqq. et Diod. 83, 1—3 paullulum discrepant, cum hic duas urbes ad Caucasum vel Paropamisum conditas esse tradat [16]). Et quamquam ap. Diod. corruptela

16) non enim debebant Lass II, p. 121 et Droys. h. A. p. 302 n. 27 lectionem quae est: *ἄλλας πόλεις* defendere. Frustra enim ille verba: *ἡμέρας ὁδὸν ἀπεχούσας τῆς Ἀλ'·* sic interpretari conatus est: »dass er auf dem Wege von dieser Stadt andere gründete, jede eine Tagereise von der andern« etc.

latere videtur (etiam illud neglegenter enuntiatum est: *τὸ δ' ὄρος-διελθὼν, πόλιν ἔκτισε κατὰ τὴν εἰς βολὴν τὴν φέρουσαν εἰς τὴν Μηδικὴν*) tamen vel propterea fide dignior est, quod Curt. ipse subiungit: 'hanc *quoque* Alexandriam incolae appellaverunt', id quod indicare videtur, post verba: superavit exercitus, aut excidisse pauca aut omissa esse. Atque etiam illud Curtii minus credibile est Alexandriae septem milia seniorum Macedonum et praeterea milites, quorum opera rex uti desiisset, consedisse. Quo magis dolendum est quod eam partem narrationis Clitarcheae qua agebatur de laboribus quibus in itinere ex hibernaculis in Bactrianam facto exercitus perfunctus est ex solo Curtio peti necesse est (4, 23 sqq.) siquidem Diod. nos deficit. Sed nescio an lacuna loco Aelianeo expleri possit. Nam is de re ipsa, iumentorum carne famem Macedones sustentasse cum Curt. consentit neque quisquam e scriptoribus Al. saepius quam ille nominatim ab eo appellatus est. Iam si narrationem Strabonis cum illa sic refecta conferimus, magnam quandam similitudinem inter utramque intercedere nemo negare potest itemque in eis quae antecedunt Clitarchum secutus ille videtur. Sed tamen etiam alios ei usui fuisse et coniectura probabile est et certis quibusdam vestigiis indicatur. Omitto enim illud quod quindecim diebus Adrapsa Al. venisse narrat-nam de ea re etiam Curt. et Diod. inter se dissentiunt — sed ipsum nomen huius urbis apud eos desideratur neque mentio fit temporis (*ὑπὸ πλειάδος δύσιν*) quo Al. per Paropamisadas profectus sit, aut terebinthi; deinde Paropamisadarum terra a Strab. *ὀρεινή*, a Diod. *πεδιάς* describitur atque etiam ea quae ap. Strab. inter locos supra exscriptos interiecta sunt illi sententiae favent. Iam quaeritur unde hac discrepantiae derivandae sint. Verum ostendere videtur narratio Arriani, quae quidem illi nihil repugnet; (nihil enim valere nominum mutationem (Adrapsa Strab. Drapsaca Arr.) supra iam vidimus). In ea enim Aristobulus de natura Paropamisi testis citatur (cf. supra) cumque ea quibus narratio Strab. aucta est ad res geographicas vel physicas potissimum pertineant non est veri dissimile ut aliis locis itahic quoque eum esse usurpatum. Num etiam alios adierit perspici non potest.

His enarratis breviter monet ipsius aetate hanc regionem regni Parthici esse provinciam quae vocatur Choarene (cf. 11, 514 C.). Parthorum quoque historiam ab ipso tractatam esse in sexto libro commentariorum historic. 11, 515 declarat. Deinde denuo redit ad expeditionem Crateri quam nemo saepius in mentem revocat. Quoniamque 1, 35 ab ipso audivimus epistolam quae Crateri esse ferebatur ei notam fuisse, non abest suspicio de hac quoque re pauca eum in hac scripta invenisse. Lass. ant. Ind. II, 180 n. 2 dissensum quendam deprehendere sibi visus est inter hunc locum et § 5, sed mea quidem sententia verba quae sunt *ταύτην δὲ τὴν χώραν* ad Arachotos potius quam ad Choarenen referenda sunt. Omnia igitur plana sunt. Quae addidit vel memoriter narravisse putandus est.

Par. insequenti (12) plura e Nearcho desumpturus quid de auctoritate eius sentiat breviter exponit. Tum eum sequitur usque ad init. § quartae decimae (cf. Arr. Ind. 30, 1 – 8. 31, 2—6. 39, 4) fr. 25 ap. M. Interponit tamen init. § 13 quae ipse ab aequalibus de balaenis acceperat. Atque etiam § 14 illius cursum persecutus oram Carmanorum describit. Fere eadem 16,3,2 ex Eratosthene afferuntur; sed sine dubio hoc loco Strabo eodem fonte usus est unde ille sua hausit: Nearcho. Sufficit enim comparavisse Arr. Ind. 32, 4 sqq. (cf. etiam Gardthaus. font. geogr. Ammiani p. 542). Pauca etiam de metallis quae ibi reperiuntur ex Onesicriti libro petivit (fr. 27). Ab eodem vel potius a Juba eadem habet Plin. h. n. 6, 26, 4 et 33, 7, 40. Müll. autem etsi l. l. pauca tantum Onesicrito tribuit tamen in annot. ad Arr. Ind. 38, 1 (geogr. Graec. minor.) ea quoque quae postea de moribus Carmanorum subiunguntur ad eum refert. Nam postquam ipse Strabo de vite Carmania dixit (*ἡ Καρμανία* (sc. *ἄμπελος*) *λεγομένη παρ' ἡμῖν*) (de qua cf. Nearch. in Ind. 32, 5) illorum mores describere pergit et finem facit cum eis quae modo attulit Nearchi narrationem opponit. Si illam sententiam amplectamur mirum sit illud quidem quod, quas res una cognoverant eas tam diverse narraverint. Neque quidquam assequimur comparatione ceterorum scriptorum rer. Al., nam si missum facias loc. Nearchi ap. Arr. Ind. 38, 1 omnes tacent. Nihilominus illa opinio mihi

quidem non prorsus spernenda videtur: de quibusdam enim rebus vehementer illos dissensisse cap. III § 5 demonstrat (cf. p. 43). Sed facere non possum quin aliam quoque coniecturam proponam. Athenaeus enim II p. 45 sq. de eadem gente e Posidonio pauca petivit, e quibus colligi licet, uberius eum de moribus eorum esse locutum. Qui cum a Strab. in aliis libris persaepe usurpatus sit, fortasse etiam hoc loco auctor ei fuit. Sed quoniam neque hoc neque illud certis argumentis ad verisimilitudinem adduci potest, rem in medio relinquendam esse arbitror. Huic narrationi Nearchum repugnare iam memoravimus (fr. 26) (cf. Arr. Ind. 38, 1. 32, 6). Sed etiam ea quae insequenti § de natura Persidis exponuntur ad eum pertinere Arr. Ind. 39, 9 et 40, 2—5 nullo negotio intellegitur (etiam verbis quae sunt λόγος κατέχει idem significatur). Itaque eis fr. 33 Müll. supplendum est (cf. A. Plin. h. n. 6, 28, 111). Longitudinis et latitudinis mensuras more suo ex Eratosthene desumpsit (fr. 117 Bernh.). Atque etiam nomina gentium quae hoc loco memorantur ex eo petita videntur; Nearchus quidem et Arr. Ind. 40, 6 et Strab. 11 p. 524 ex iis Mardos unos nominat.

His generatim expositis ad singulas partes Persidis transit. Ac primum quidem explicare studet qui factum sit ut Susa totius regni caput Cyrus delegerit. Narrat igitur opportunissime Susianam illi sitam esse visam quod et finitima esset Babyloniae ceterisque gentibus et antiquissimis temporibus exceptis semper pars regni maioris fuisset. Haec Strabo solus tradidit neque quidquam apud ceteros scriptores harum rerum reperire nobis contigit quo uti possemus ad auctorem eius cognoscendum. Nam ex eis quos ipse 11, 507 et 508 Persicarum Medicarumque rerum auctores appellat et exagitat, Herodotus nihil de ea re habet, e Ctesiae autem aut Hecataei reliquiis nulla huc pertinet. Atque etiam tales cogitationes ab horum ratione scribendi adeo abhorrent, ut eorum libris ne potuisse quidem uti videatur. Cumque narratio ipsa nullam ansam det ad coniciendum quis ea excogitaverit, in tanto numero scriptorum illis recentiorum quos eas res tractasse aut notum aut verisimile est, omni coniectura abstinendum esse arbitror. Neque minus fons latet

eorum quae de urbe Susis afferuntur. Nam arci Memnonio nomen fuisse Her. 5, 53. Diod. II, 22, alii scripserunt (cf. Duncker I, 29) nomenque ductum esse a Memnone et Diod. l. l. et Ael. n. h. 5, 1 tradunt (etsi contra Strab., ut videtur, Diod. ex Ctesia Memnonem arcem exstruxisse prodit); ea enim non minus quam materiem murorum Graecis decantata fuisse manifestum est. Sed de circuitu urbis omnes tacent praeter Polycletum quem ipse postea citat (fr. IV ap. Müll. scr. rer. Al. p. 129). Verisimile tamen est illa ab aliquo scriptt. rer. Al. litteris mandata fuisse. Aeschylum quoque et Simonidem Ceum auctores adhibet, unde propterea nihil efficitur, quod uterque ab eo lectitatus est.

Susorum mentione facta § tertia ceteras Persarum regias: Persepolim, Pasargadas, Gabas, Taocen[17]) enumerat. Breviter etiam id monet regnum Persarum cum prius a Macedonibus postea a Parthis subactum esset ipsius aetate plane dilapsum esse. Haec omnia ita comparata sunt ut de auctore quaerere non opus sit. Partim enim breviora sunt partim fama ad eum perlata esse verisimile est.

Tum iterum ad Susianam redit. Incipit autem ab ora, quam Oroatide (coll. § 1) et Tigride definiens tria milia stadd. longam esse tradit. In qua re Nearchum quidem non secutus est: nam is § 5 Euphratem terminum sumit pro Tigride neque computus eius quo Pasitigrim ab Oroatide duo milia stad. abesse repperit cum Strabone congruit. Nec minus quae de Choaspe ab eo exhibentur contra Nearchum pugnant: qui quidem in paraplo eum ne nominat quidem. Apparet autem in eundem errorem incidisse Strabonem quo veterum scriptorum plerique laborabant, cum Eulaeum, Choaspem, Pasitigrim parum distinguerent. Quantum enim etiamnunc res perspici potest Eulaeus idem est atque Pasitigris (cf. Müll. ad Arr. Ind. 42): ab illis autem et Pasitigris Tigris et Eulaeus Choaspes haud raro appellatur. Velut Herod. Choaspem solum nominat et in ripis eius Susa posita esse eiusque unius aquam reges Persarum bibere solitos esse prodit. Cui de Susis quidem Strabo (de aqua Curt. 5, 2, 9) assen-

17) De hoc nomine coni. restituto cf. Müll. ad Arr. Ind. 39, 3.

titur; nec vero de aqua, idem enim de aqua Eulaei narrat (§ 22) (Pasitigrim et Tigrim eundem existimat Curt. 5, 3, 1). Arr. autem Choaspem nunquam, Pasitigrim bis (exp. III, 17, 1 et Ind. 42), Eulaeum saepius 7, 7, 2 sqq. memorat. Marcian. denique sec. Ptol. et Susa praeterfluere Eulaeum et in sinum Persicum influere affirmat (peripl. 1, 21). Nemo autem praeter Strab. Choaspem in hunc sinum effundi dicit: quaeritur nunc utrum ex fonte eius is error manaverit an ipsi tribuendus sit. De hac re difficile est iudicatu: de fonte ipso enim nihil certi statui potest. Nam cum Nearchus et Polycletus aperte dissentiant, ac ne Onesicritus quidem adeo ab illo abhorruisse putandus sit, omnis fere facultas divinandi tollitur. Venerit alicui in mentem Eratosthenis nec sine causa; nam et ea quae praecedunt de terminis et ea quae de Uxiis proxime succedunt ad illius operis rationem satis apte conveniunt. Sed tamen obstare mihi videtur illud quod Strab. II p. 80 ex eo affert: *τὸ δὲ νότιον* (meridionale latus tertii sigilli i. e. Babyloniae et Susianae agitur) *παρὰ μὲν τὴν θάλατταν οὐκ ἔστι λαβεῖν διὰ τὸ τὸν Περσικὸν ἐμπίπτειν κόλπον* etc. cum hoc loco partem illius lateris emensam tradere non dubitet. Quamobrem probabilior est ea coniectura: Strabonem numerum illum nescio qua ratione repperisse, et Eulaeum pro Choaspe habuisse nec vero certum auctorem in eis rebus esse secutum. Iure enim monet ad § 10. Cram. v. d. in hac parte libri sat neglegenter rem eum gerere. Cum autem de Uxiis illa conscriberet Nearchi narrationis eum meminisse satis verisimile est. Res satis nota est cf. Nearch. ap. Strab. 11 p. 524 (fr. 34) et Arr. exp. III, 17, 2. Sequitur locus ex Polycleto depromptus cf. Müll. scr. rer. Al. p. 130 et ad Arr. Ind. 42, 3. Qui hoc loco verius iudicavit quam illo: nam cum verbis quae sunt *ὀκτακοσίους γὰρ εἶναι σταδίους εἰς Σοῦσα* nihil aliud significetur quam *ἐμπόριον* illud quod a Polycleto modo memoratum est a Susis octingenta stadia abesse, mirum sane esset si ab alio nec vero ab hoc ipso Strabo ea habuisset. Itaque verba quae nunc ap. Meineck. leguntur *λέγουσιν ἄλλοι* cum Cram. delenda censeo (de cett. coni. ad h. l. factis cf. Cram.). Sed vere alterius narrationem infert cum sic pergit: *ἄλλοι δέ φασι* etc. Is in ea

sententia est Tigrim et Pasitigrim unum et eundem fluvium esse ita ut ille ceteris fluminibus auctus Pasitigris appellatus sit; idemque fere credidisse video eum quem Plin. h. n. 6, 31, 1 exscripsit, „ubi remeavere aquae (scil. alvei Tigris) Pasitigris appellatur.“ Sed cum nomen aliter atque Strabo explicet caveamus ne utriusque fontem eundem fuisse arbitremur. Clitarchum quoque nominibus illis unum et eundem fluvium significari existimasse Curt. 5, 3, 1 demonstrat coll. Diod. 17, 67 etiamsi hoc altero loco Pasitigris nomen desideretur. Sed ne id quidem rem nostram expedit quoniamque Nearchus par. ins. et Arr. Ind. 42 illud negat, cui nominis explicationem debeat Strabo quaerere desisto. De ea ipsa cf. Müll. ad Arr. Ind. 42.

Fieri autem non potuit quin in describenda ora Susiana Nearchum quoque et principem et diligentissimum investigatorem harum regionum aderit. Id quod § 5 factum est (fr. 35). Occurrunt igitur permulta ex eo petita, quibus Arr. Ind. 40, 9 sqq. ad verbum paene respondet; ita tamen ut alteruter ordinem non satis servaverit. Plin. vero 6, 26 adeo differt, ut etsi nominatim Nearchus affertur narrationem ab eo profectam esse negem. Illis ex Nearcho excerptis ex Onesicrito pauca adduntur (fr. 28) quibus de ostiis Euphratis et Tigridis dissensisse eos docemur. Difficillimum igitur fuisse videtur illorum fluminum cursus et ostia satis discernere.

Iam ad expeditionem Alexandri redit cum ad verba par. 4 *παρεμπίπτει γὰρ* etc. respiciens qua via Susis in Persidem ille profectus sit breviter exponit. His cum ceteris scriptoribus in contentionem vocatis haec sunt animadvertenda: angustiae quibus transitur in Persidem *Περσίδαι πύλαι* ab Arr. quoque appellantur (III, 18), *Σουσιάδαι πέτραι* vel Susidae pylae a Diod. 17, 68 et Curt. 5, 3, 17, qua re id quidem demonstratur gravioribus auctoribus propius accedere eum quam Clitarcho. Omitto Choaspem, Copraten, Pasitigrim (de quib. vid. Droys. p. 240 annot.) sed de Cyro pauca dicenda sunt. Dicit enim regem Cyrum hoc nomen sumpsisse a flumine Cyro per Persidem fluente, cum antea nomen Agradati ei fuisset: at Ammian. Marcell. 23, 6, 40 haec habet: „cui magno et specioso Cyrus ille superior rex — id vocabulum

dedit" de alio flumine (mirum quod St. Croix p. 678 Casaub. fortasse secutus etiam Strab. sic interpretatur). Nemo autem praeter eos hoc aut illud narrat. Itaque iam Casaub. illam discrepantiam ita tollere studuit ut locum Strab. corruptum existimaret: sed nihil nos cogit ut eos componamus neque quidquam ap. Strab. corruptum esse censeo praeter nomen Agradatis. De quo cf. Duncker II p. 456 not. III (ed. alt.). De reliquis autem Curt. 5, 4, 7 in eo dissentit quod Araxem in Medum evolvere dicit. Denique Persepolis arcem ab Al. incensam esse ut Graecorum iniurias a Persis acceptas ulcisceretur omnium consensu confirmatur cf. Arr. exp. 3, 18, 11—12. Diod. 17, 70 (copiosa descriptione urbis praemissa) Curt. 5, 6. Plut. Al. 38 etc. Iam totam par. considerantibus nobis dubium esse non potest quin Strabo ea non ita composita invenerit sed aut ex eo libro quem ipse de Al. ediderat aut e pluribus scriptt. rer. Al. deprompta ad ipsius usum quadraverit. Quod cum ita sit nemo mirabitur certum auctorem vel certos auctores a nobis non nominari; illud tamen recte dici potest una illa re excepta fidem eius in dubium non esse vocandam.

Persepoli Alexander profectus cum Pasargadas venisset Cyri sepulcrum visit. Quod cum ab aliis scriptoribus tum ab Aristobulo et ab Onesicrito visum et descriptum esse §§ 7 et 8 declarant. (Arist. fr. 37. On. fr. 31) profert praeter eos etiam Aristum quendam Salaminium de quo vid. Müll. scr. rer. Al. p. 152 et A. Schoene anal. hist. p. 26. His absolutis haec narrat: Cyrum quo loco Astyagem devicisset ibi urbem regiamque Pasargadarum condidisse. A Cyro eam conditam esse Curt. quoque 5, 6, 10 testatur: causam urbis condendae praeter Strab. unus Anaximenes (fr. 18) addidit. Sed cum a Strab. bis tantum laudetur de coloniis Milesiorum, (fr. 3 et 4) hunc locum ad eum referre non audeo.

Persepoli autem et in ceteris regiis Persarum ingentes pecunias Alexander invenisse traditur. Ac Strab. quidem init. § 9 omnem pecuniam quae in Perside capta esset Susa transportatam esse narrat, cum paullo post sic pergat: *ἄλλοι δὲ πάντα πάντοθεν συναχθῆναι παραδεδώκασιν εἰς Ἐκβάτανα ὀκτωκαίδεκα μυριάδας ταλάντων.* Videtur igitur haec ex di-

versis fontibus hausisse. Sed et hoc et illud legimus apud Diod. 17, 71 et 80 haud dubie utroque loco Clitarchum secutum. Et vere a utrumque Clitarcho memoriae traditum esse Curtii et Iustini consensu quam luculentissime demonstratur. Quamquam enim ille 5, 6, 9 de thesauris Susa transportatis tacet, tamen locis collatis idem ab utroque in fonte inventum esse facile perspicitur. Iustin. autem 12, 1, 3 centum nonaginta milia tal. Ecbatana congesta eisque Parmenionem praepositum esse confirmat. Completur igitur narratio Diodori partim a Curtio partim a Iustino (nam numerum ab eo traditum corruptum censeo ex CLXXX). Qua de causa Strabonem quoque utroque loco secutum Clitarchum illud *ἄλλοι* ei voci quae proxime antecedit *τινές* opposuisse existimo. Sed etiam reliqua consideranda sunt. Addit enim haec: *φασὶ δὲ χωρὶς τῶν ἐν Βαβυλῶνι καὶ τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῶν παρὰ ταῦτα μὴ ληφθέντων αὐτὰ τὰ ἐν Σούσοις καὶ τα ἐν Περσίδι τέτταρας μυριάδας ταλάντων ἐξετασθῆναι· τινὲς δὲ καὶ πέντε λέγουσιν.* Cum igitur dicat aestimatione facta thesaurorum Susa congestorum illam summam repertam esse nihil aliud eum perhibere arbitror quam quod a Diod. 17, 66. Plut. Al. 36. Arr. exp. 3, 16, 7. Iustin. 11, 14, 10. Curt. 5, 2, 11, traditum est: quadraginta vel quinquaginta mil. tal. Susis capta esse. Diod. quidem 71 et Curt. 5, 6, 10 ipsos thesauros Persepolitanos CXX milibus tal. aestimant, quorum magna pars Susa transvecta est. De numero illorum narrationes ita variantur ut quadrag. mil. Iust. et Plut. tueantur, quinquaginta Curt. („argenti non signati forma, sed rudi pondere") et Arr.; omnium diligentissime rem tractet Diod. 66 *„ἀσήμου χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πλείω τῶν τετρακισμυρίων ταλάντων· χωρὶς δὲ τούτων ὑπῆρχεν ἐνακισχίλια τάλαντα χρυσοῦ χαρακτῆρα δαρεικὸν ἔχοντα".* Hunc propterea exscripsi, quod hoc loco continetur explicatio dissensionis quae inter Curt. est et Iustin. (Raun. enim cum l. l. p. 39 Curt. numerum falsum esse iudicaret, neglexit Diodorum): alterum enim novem milia tal. omisisse, alterum XL milibus addidisse existimo. Quem usurpaverit Plut. hic non curo; Arrianum Aristobulo aut Ptolemaeo sua debere constat. Strabo autem partem priorem a scriptore minus noto habuisse videtur, alte-

rum numerum ex Aristobulo sumpserit, si modo supra vere suspicati sumus, verba quae sunt ἄλλοι δὲ pertinere ad Clitarchum. De thesauris Susianis etiam § 21 ex Polycleto nonnulla affert. Ad extrema denique comparandi sunt: Arr. exp. 3, 19, 5 et Curt. 5, 12, 17; e quibus ille septem milia tal. Darium secum abstulisse, Curt. pecuniam regis ab interfectoribus eius direptam esse narrat. Cum neutro igitur tantopere consentit ut inde de fonte communi coniecturam facere nobis liceat. Sed cum quae ad res ab Alexandro gestas pertinent omnia nunc perlustraverimus, non alienum videtur esse quid de origine et fide eorum pro explorato habendum sit breviter considerare. Intelleximus igitur Strabonis narrationem modo Arriano similiorem esse modo eis quos Clitarcheos nominare nobis licet. Sed cum pleraque et brevius dicta essent quam ut cum fructu in contentionem vocari possent et a rivulis potius quam ab ipsis fontibus arcessita essent, quos quoque loco consectatus esset persaepe perspici non potuit. Qua re quominus magnam ei auctoritatem adiungamus non impedimur: putandum enim est non quemvis librum quo variae variorum scriptorum memoriae iudicio non adhibito compositae essent ab eo esse descriptum, sed ea quae ad librum illum de rebus Al. conscribendum e scriptt. rer. Al. collegisset hoc libro iterum usurpata esse. Qua in re quanta diligentia atque etiam severitate usus sit ex Strab. II, p. 70; XV, p. 698. 723 C. apparet. Itaque quamquam pauca quaedam paullo neglegentius tractavit, tamen auctor non spernendus est rer. Al.: ut enim alia omittam itinera ab Al. in hac parte Asiae facta a nullo diligentius descripta invenimus.

Sequitur autem luculenta illa et accurata descriptio caloris Susiani, cuius auctorem ipse nominasse videtur: aut enim ea quae nunc leguntur ὥς φησιν ἐκεῖνος corrupta esse aut pauca excidisse manifestum est, siquidem in eis quae antecedunt nemo laudatus est, ad quem ea referri liceat[18]. Quaerentibus autem nobis quisnam intellegendus sit illud tenendum est quod et Susiana et res naturales tractantur. Tum

18) Non enim mihi persuasit Cram. hoc quoque ipsius Strab. neglegentiae tribuendum esse.

enim facile videbimus de tribus omnino scriptoribus ex iis quos antea ille memoravit posse cogitari, de Onesicrito, Aristobulo, Polycleto. Hunc enim in Susis describendis multum versatum fuisse Strab. §§ 2 et 21 docet: illi autem quantum ex fragmentis cognoscitur ex scriptt. rer. Al. soli fere videntur operam dedisse ut ea quoque quae valerent ad regionum naturam adumbrandam complecterentur. Ex iis ipsis autem Onesicritum propterea missum facio quod quamvis magnopere is id studuerit ut res quam maxime mirabiles congereret, tanta cura ac diligentia quantam hoc loco in singularum rerum natura rationeque observandis adhibitam esse videmus eius non propria fuit. Aristobuli autem nomen supplendum esse in Strabonis Didotiani versione Latin. Müller. coniectura assecutus est. Nec prorsus temere id suspicatus est: nam cum tota narratio talis est quae ei tribui possit, tum ea quae de structura domorum dicta sunt eum indicare videntur. Iure enim ex eo quod Alexander sepulcrum Cyri ei reficiendum tradidit colligitur, eum artis aedificandi peritum omniumque quae ea contineantur studiosum fuisse. Sed tamen magis etiam mihi probatur Polycletum haec memoriae prodidisse. Etsi enim de libris eius perpauca frgm. supersunt (Müll. scr. rer. Al. fr. VIII) ut de argumento eorum liquido iudicare nobis non liceat, recte tamen Müll. l. l. animadvertit reliquiarum maximam partem spectare ad res geographicas. Ex quo hoc quidem perspicuum fit eas ab illo non esse neglectas. Altera autem causa cur illa ei vindicanda esse censeam haec est: de urbe Susis unus Polycletus a Strab. testis citatur, hoc autem loco haec legimus: ἡ Σουσὶς, ἔκπυρον τὸν ἀέρα — καὶ μάλιστα τὸν περὶ τὴν πόλιν — deinde μὴ φθάνειν τὰς ὁδοὺς τὰς ἐν τῇ πόλει etc. Non nego Aristobulum quoque Susis moratum haec observare potuisse, sed mihi quidem illa coniectura propius ad veritatem videtur accedere. Decimam § igitur totam ex eo fluxisse arbitror.

At vehementer dubito num ea quae sequuntur ad eundem referenda sint. Habemus sane locum simillimum libr. XVI, 1, 14 de Babylonia, cui item nonnulla ex Polycleto desumpta praemissa sunt nec tamen quidquam inde effici

potest cum praesertim ex dissensu de vino Babylonio cognoscatur non ex eodem fonte utrumque manavisse. Neque ullum alium locum afferre possum quo huius narrationis origo illustretur. In ipsa autem nulla inest certa iudicandi nota nisi quod verbis quae sunt *τὴν δ' ἄμπελον* etc. ab aliquo scriptor. rer. Al. eam traditam esse satis luculenter demonstratur. Qua in re acquiescendum est. Atque haec quidem de Susiana superiore scripta sunt; adiunxit autem iis pauca de ora ex Nearcho desumpta (fr. 36).

Quibus perscriptis finitimas quoque gentes, Elymaeos, Paraetacenos, Uxios breviter attingit. Quae autem hoc loco collegit partim ab Apollodoro Artemiteno (cf. 16, 1, 18; 11, 13, 6) partim ab aequalibus accepta habuit. Tum his verbis ad mores Persarum describendos accedit: *περὶ ὧν εἰρήκασι μὲν πλείους, τὰ δὲ καίρια καὶ ἡμῖν λεκτέον* in eaque re usque ad § 21 perseverat. De fontibus autem ipse haec dicit extr. § 15 *ταῦτα μὲν οὖν* (i. e. ea qua par. 15 enarraverat) *ἡμεῖς ἑωράκαμεν, ἐκεῖνα δὲ* (§ 13 et 14) *ἐν ταῖς ἱστορίαις λέγεται καὶ τὰ ἐφεξῆς* et extr. § 13 *ὥς λέγουσί τινες*. Illud igitur pro certo negare nobis licet Eratosthenem vel Artemidorum vel alium geographum auctorem eius fuisse. Nam cum semper voce quae est *ἱστορία* ita ille utitur ut ad historicos eam referat (velut de Ephoro p. 622 C. de Theopompo p. 43; fabulis opposita p. 504) tum p. 332 *οἱ μὲν ἰδίᾳ λιμένας ἢ περίπλους ἢ περιόδους γῆς — ἐπιγράψαντες* aperte opponuntur eis qui *ἐν τῇ κοινῇ τῆς ἱστορίας γραφῇ* topographiae operam navarunt. Et profecto magnam partem eorum quae his §§ traduntur ex Herodoto desumptam esse eius opere collato facili negotio intellegitur. cf. § 13 (extr. enuntiato excepto) cum Herod. 1, 131 et 132; § 16 cum Her. 1, 138; § 17 = 135 et 136; § 20 = 133. 134. 140. Illud unum in dubium vocari potest num ipsum Herodotum inspexerit. Plura enim ex aliis scriptoribus petita ita interiecta sunt ut facile quis in eam opinionem veniat Strabonem illius narrationem ab alio auctam atque correctam invenisse. cf. § 17 et 20 cum locis Herod.[19]). Constat tamen Herodotum saepius ab

19) De industria init. § 18 omitto, ubi verba Her. *παιδεύουσι δὲ*

eo evolutum esse neque in eo offendendum est quod nomen eius siletur. Ut enim descriptiones morum Massagetarum (XI, 8, 6 = Her. I, 202. 212. 215. 216) et Assyriorum (XVI, 1, 20 = Her. I, 195—200) ad verbum ex eo exscripsit auctore non nominato, sic hoc loco eum auctorem citare veritus est cui p. 508 de rebus Persicis una cum Ctesia et Hellanico omnem fidem abrogaverat. Itaque illa ex ipso Herodoto profecta esse existimo. In eis vero quae a Strabone addita sunt plures auctores cognoscere mihi videor. Nam cum cetera scriptoris rerum Persicarum satis periti sint, ea quae § 18 de educatione et institutione puerorum narrantur aut omnia aut maximam partem ficta esse neminem fugiet. Nam tota haec descriptio adeo referta quasi est praeceptis a philosophis Graecis excogitatis ut unquam pueros Persarum hac ratione educatos esse fortiter negem: nam ne in eam quidem aetatem ea quadrat de qua Arr. exp. 5, 4, 5 haec dicit: *τότε* (Cyri aetate) — *νόμιμά σφισιν ἦν οἷα ἐγγυτάτω εἶναι τῇ Λακωνικῇ παιδεύσει.* Haec igitur separatim consideranda sunt [20]). Sed ut ordinem sequar, §§ 13 et 14 narrationi Herodoteae de cultu ignis et aquae pauca quaedam adnectuntur. Haec satis bene conveniunt cum eis quae Dino in fr. 8 et 9 ap. Müll. fr. hist. II p. 91 narravit. Sed priusquam de ea re iudicium faciamus ceteri quoque scriptores rer. Pers. hoc loco convocandi sunt. Ipse Strabo l. l. praeter Herod. laudat Hellanicum et Ctesiam; e quibus illum quidem saepius adire non dubitavit. Idem autem hoc loco factum esse non modo demonstrari non potest, sed ne verisimile quidem est: quantum enim ex reliquiis perspici potest eiusmodi res multo neglegentius ille observavit. Multo probabilius est Ctesiam in Persicis aut illa aut similia tradidisse, ipsum autem a Strabone de hac re auctorem esse electum vel propterea minus credibile est quod iis quidem locis ubi nominatim citatur ex aliis scriptoribus notum ei fuisse apparet. Nam

τοὺς παῖδας ἀπὸ πενταέτεος ἀρξάμενοι μέχρι εἰκοσαέτεος corrigi videntur; nam cum init. § 19 sequantur: *στρατεύονται ἀπὸ εἴκοσιν ἐτῶν,* hunc numerum etiam illo loco restituendum censeo.

20) Dunck. II p. 616 sqq. ut Xenophontis institutioni Cyri ita Straboni nimiam fidem tribuit.

p. 689 locum ex Eratosthene sumptum esse satis demonstrasse mihi videor; p. 779 ex Artemidoro p. 785 ex Posidonio laudatur. Dino vero ne semel quidem appellatur ut ab ipso illa repetenda esse persuadere mihi non possim. Sed cum ea similitudo quam supra memoravi intercedat inter utrumque non prorsus respuenda mihi videtur ea opinio: a Dinone potius alterius opera haec accepisse Strabonem quam a Ctesia. Quamquam ne ea quidem satis certa atque confirmata est: nam etsi praeter eos quos laudavi admodum pauci scriptores Graecorum adeo rer. Persic. periti erant ut sacrificia Magorum tam accurate describere possent, tamen facile aliquis e comitibus Alexandri velut Aristobulus haec observare potuerat. Utut id est, hoc quidem constat, et hanc partem descriptionis congruere cum Dinone et scriptam esse ab homine rerum Persicarum haud imperito. Seiunxi autem ab illis ea quae in §§ 17 et 20 narrationi Herodoteae admiscentur non quo plane diversa sint sed quod ita distributa atque dispersa sunt ut valde dubium sit num ad unum fontem pertineant. Nam cum nulla ratione inter se cohaereant putandum est e pluribus scriptoribus ea esse delibata, quorum unum quidem vestigium apparet in extr. § 20 de matrimonio filiorum et matrum, nam si Tertulliano fides habenda est, id iam Ctesias tradiderat cf. Ctes. ed. Baehr p. 91 cett. loc. in Paully Realenc. s. v. Magi p. 1375. Sed quoniam parum interest diligentius ea persequi, ad educationem vestimentaque Persarum transeamus. De qua parte quid sentiamus supra exposuimus: restat igitur ut auctorem eruamus. Neque Hellanicum neque Ctesiam neque Dinonem ea conscripsisse non opus est demonstrare: neque magis credibile est scriptores rer. Al. qui quam penitus corrupti depravatique essent mores Persarum suis oculis vidissent quasi optimam quandam speciem educationis eis tribuisse. Sed si quis diligenter et attente ea perlegerit praeter oratorium quendam colorem vestigia cum Herodoti tum Xenophontis Cyropaediae facile inveniet. De sermone illud: *καὶ μέλους χωρὶς καὶ μετ' ᾠδῆς ἔργα θεῶν τε καὶ ἀνδρῶν τῶν ἀρίστων ἀναδιδόντες* memorasse satis habeo; ad Herod. praeter initium etiam extrema verba *τιθέντες καὶ ὁλομελῆ*, referenda videntur (cf. 1, 133 **ὅλους**

ὀπτούς); Xenophontis denique et tota narratione admonemur et singulis locis velut *παρὰ δὲ τὰς φαρέτρας σαγάρεις ἔχουσι καὶ κοπίδας* (1, 2, 9); *οὔχ ἅπτονται δὲ τῶν θηρευμάτων οἱ παῖδες* (aliter Xen. 1, 2, 11); aliis. Haec igitur satis constant: auctorem huius narrationis et post Alexandrum scripsisse et historiae fidem neglexisse. Cum per aetatem rationem habere nobis liceat Apollodori eius qui Parthica conscripsit, Posidonii Apamensis, Nicolai Damasceni, per fidem eos praetereundos censeo. Quamquam enim nemo eorum dubitat luminibus illustrare orationem et de Posidonio ipse Strabo p. 147 C. haec dicit *οὐκ ἀπέχεται τῆς συνήθους ῥητορείας καὶ συνενθουσιᾷ ταῖς ὑπερβολαῖς,* tamen talia qualia par. 18 narrantur neque finxisse neque ab aliis sumpsisse putandi sunt[21]). Multo facilius Strabo decipi potuit, qui quamvis gravissimum iudicem interdum se praebeat tamen haud raro eum auctorem quem modo vehementissime exagitavit in usum suum convertat. Ne multa: Batonem Sinopensem auctorem eius fuisse existimo (fr. hist. Gr. 4 p. 347). Nam cum unus Strabo Persica eius memoraverit (11, 546 *Βάτωνα τὸν πραγματευθέντα τὰ Περσικά*) bene illud explicatur quod narrationis ab eo allatae nusquam vestigium invenitur, (etsi ipsam ad Xenophontem respicere vidimus). Deinde quamquam quo genere dicendi usus sit ex paucissimis eius reliquiis spectari non potest, tamen eo quod Ath. 14 p. 639 E eum appellavit rhetorem ea coniectura quam proposui satis bene sustentatur. Rhetorem enim sermone indicari iam vidimus. Fortasse quispiam suspicabitur ea quoque quae Dinoni vindicare studuimus per eum ad Strabonem pervenisse; sed huius rei indicia plane desunt.

Polycleti fragmento interposito (fr. 4 ap. Müll.) de regum luxuria nonnulla afferuntur: uti solitos esse eos vino

21) Non nego me ipsum per aliquod tempus Posidonium pro auctore habuisse. Eum enim et persaepe a Strabone esse usurpatum et praeter ceteros in moribus institutisque describendis operam collocasse constat (cf. fr. 1, 2; 23, 24, 25, 26, 57). Accedit quod praeter serm. orat. etiam vocabulum proprium eius invenisse mihi videbar: *ὁλομελής* (extr. 19) quod Steph. (si Eustath. excipis) ex solo Posid. notum est cf. Ath. 5, 210 D et E; et 12, 540 B et C.

Chalybonio, frumento Assio, aqua Eulaei. Eulaei vel Choaspis aquam semper eos secum duxisse notissimum est (cf. pr. c. Plin. h. n. 6, 31, 9. Her. 1, 188. Ctes. ed. Baehr p. 226 al.); de tritico Assio aliunde nihil habeo; de vino Chalybonio autem Posidonius idem narrat ap. Athen. 1, 28 (Müll. fr. hist. III p. 276 p. err. Strabonem nominat pro Ath.) Satis igitur verisimile est, in hac re eius auctoritatem Strabonem sequi. Cui sententiae illud quoque favet quod cum scriptores notae veterioris ut Ctesias Herodotus atque etiam Curt. 5, 2, 9 (ex Clit.) Choaspis aquam praedicent, recentiorem auctorem ab eo sumptum esse satis certum est.

Finem facit totius libri cum fata Persarum et regum seriem usque ad ipsius aetatem breviter persequitur. Sed cum dubium non sit quin Straboni ad ea conscribenda certo quodam auctore opus non fuerit cumque nihil insit in eis quod a narrationibus ceterorum abhorreat, non est quod operam tempusque in fontibus aperiendis consumamus.

Haec habui quae de fontibus in libro XV a Strab. usurpatis dissererem; restat ut quid quaque de parte eruisse mihi videar breviter nunc complectar.

I, 1—2 Strabo.
3. Apollodorus Artemit. Onesicr.
4. Strab. Nicol. Damasc.
5. Nearchus.
6. Megasthenes.
7. Eratosthenes.
8. Megast. et Erat.
9—10. Strabo.
11—14. Eratosth.
15. Onesicritus.
16. Nearchus.
17. Aristobulus.
18. Nearch. Aristob. Megillus. Ones.
19. Aristob.
20. Onesicr. Megasth. Nearch.
21. Onesicr. Aristob. Nearch.
22—23. Onesicr. Aristot.
24. Ones. Strabo.

25. Nearchus.
26. Strabo. Aristob.?
27. Megasth. Arist.?
28. Aristob. Onesicr.
29. Aristob. Clitarch.
30. Onesicr. Clitarch.
31. Clitarchus.
32. Megasth. complures.
33. Onesicr. Aristob. Nearch. Ones.
34. Onesicr.
35. Craterus. Megasth.
36—37. Megasth.
38. Aristot. Strabo.
39—42. Megasth.
43. Megasth. Nearch.
44. Megasth.
45. Nearch. Aristob.
46—57. Megasth. 57. Timagenes.
58—60. Megasth.
61—62. Aristobul.
63—55. Onesicritus.
66—67. Nearchus.
68. Megasth. Clit. Ones.?
69. Negasth. Clit. (Timag.?)
70—71?
72. Artemidorus.
73. Nicol. Damascenus.

II, 1. Eratosthenes.
2—6. Nearchus.
7. Aristob. Clit.
8. Eratosthenes.
9. Eratosthenes.
10. Clit. et Aristob.
11. Strabo.
12. Nearchus.
13. Nearchus.
14. Nearchus Onesicr. Strab. Posid. aut On.?

III, 1. Nearchus Erat.

2. ? Polycletus.
3. Strabo.
4. Strab. Nearch. Polycl.
5. Nearch. Ones.
6. complures.
7. Aristobulus.
8. Onesicr. Aristus.
9. complures.
10. Polycletus.
11. Nearchus.
12. Apollod. aequales.
13. Herodotus.
14. Dino?
15. Strabo.
16—17. plur. ex Herod.
18—19. Bato Sinop.
20. Herodotus.
21. Polycletus.
22. Posidonius.
23—24. Strabo.